





SANCTORUM PATRUM

BASILII MAGNI

ARCHIEPISCOPI

CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ,

ET

JOANNIS CHRYSOSTOMI

ARCHIEPISCOPI

CONSTANTINOPOLITANI,

HOMILIÆ SELECTÆ.


Clerici Benedicti Amatori



PATAVII, M. DC. LXXXVIII.

Ex Typographia Seminarii, *Sup. Permissu.*

2-5



ELENCHUS

Orationum Scelectarum,

Quæ hoc Opusculo continentur.

Ejusdem

SAN-



SANCTI PATRIS NOSTRI

BASILII MAGNI,

Archiepiſcopi Cæſareæ Cappadociæ, ad Adoleſcentes:

Quem ex profanis literis fructum capere poſſint,

ORATIO.

Pomponio Brunello interprete.



Ulta me hortantur, filii, ut vobis ea ſuadeam, quæ optima cenſeo, quęque vobis exiſtimo ſalutaria futura, modo ea vos accipere ne gravemini. Nam id ætatis cum ſim, & in multis jam rebus verſatus, atque adeo rerum viciſſitudinem, quæ omnia docet,

A ſatis

ſatis expertus, uſum mihi aliquem rerum humanarum comparavi, ut vobis, qui vitam eſtis nuper ingreſſi, quamdam quaſi viam poſſim tutiſſimam demonſtrare. Huc accedit, quod & ego, pro naturæ propinquitate, vos proximè ſecundum parentes veſtros attingo; ut & nihilo minore vos, quam parentes ipſi, benevolentia proſequar; & vos, (niſi quid me fallit concepta de vobis opinio) cum ad me reſpicitis, exiſtimo parentum deſiderio non teneri. Si ea igitur, quæ dicam, alacri animo acceperitis, in altero eorum eritis loco, qui apud Heſiodum laudantur: ſin minus, nihil equidem acerbius dixerim. vos verò verſus ipſos, credo, memoria tenetis, quibus ille optimum quidem illum eſſe ait, qui ipſe per ſe, quæ ſunt agenda, perſpiciat: probum item eum, qui ab aliis, quæ præcipiuntur, amplectitur: eum eſſe nequam, qui neutrum poſſit efficere. Nolite autem mirari, ſi quid me utilius inveniſſe profitear, quam vos, qui doctores diebus ſingulis conveniatis, & cum veteribus oratoribus, dum illorum evoluitis præclara ſcripta, verſe-

versemini. Etenim idipsum ego vobis conabor ostendere, hujusmodi hominibus mentis vestræ, tamquam navigii, gubernaculis creditis, quacumque ducunt, sequendum non esse: sed ab ipsis ea dumtaxat, quæ utilia sunt, accipienda, videndumque diligenter, quid sit in illis etiam negligendum. Id verò quale sit, & quemadmodum dijudicari oporteat, jam docebo; atque inde mihi nascetur exordium. Nos, ò filii, humanam hanc vitam nullius esse ponderis existimamus, nec aliquid omninò in bonis ponimus, aut nominamus bonum, quod huic tantùm vitæ conducit. Itaque non majorum splendorem, non robur corporis, non pulchritudinem, non proceritatem, non honores, qui nobis ab universis hominibus deferantur, non regnum ipsum, non rem ullam denique, quam ex rebus humanis præstantissimam proferre quis possit, atque adeo ne expetendam quidem ducimus, neque suspicimus eos, qui ista possideant: sed spe longius multo provehimur, &, ut ad alteram nobis vitam aditum paremus, enitimur. quæ igitur ad eam ferunt, &

adamanda esse dicimus, & omni studio persequenda; quæ verò ad eam non pertinent, tanquam nullius pretii; contemnenda. Porrò quæ ista sit vita, & ubi, & quæ ipsius agendæ ratio futura sit; & longiorem orationem, quàm instituta disputatio postulet, & graviores auditores desiderat. Illud tamen si dixero, rem satis fortasse pro tempore demonstravero. Si enim omnem omnium post homines natos beatitudinem quispiam oratione comprehendat, atque unum in locum conferat, ne minima quidem ex parte, cum alterius vitæ bonis exæquari posse comperiet: sed universa hujus vitæ bona ab illorum bonorum quolibet, vel exiguo, longius abesse intelliget, quàm à vero somnium putetur, atque umbra distare. Quinetiam, ut magis proprio utar exemplo, quanto præstabilior est animus corpore, tantum est inter vitam utramque discrimen. Ad hanc igitur nos literæ sacræ perducunt; dum nos mysteriis arcanis erudiunt. dum tamen earum sententiam per ætatem perspectam penitùs, cognitamque habere non licet; in aliis quibusdam

non omninò diversis, tanquam in umbris, ac speculis, animi aciem interim exercemus; ut ii facere solent, qui ad rem militarem umbratili certamine sese antea comparant. nam ii, cum fuerint ad artem gestus, ac saltationis periti, ludicræ exercitationis fructum in veris certaminibus capiunt. Ergo cum & nobis certamen propositum esse maximum putandum sit, cujus causa nobis conandum est, laborandumque pro viribus; ad hujus certaminis præparationem cum poetis, historicis, oratoribus, cum omnibus denique est agendum, unde ad animum excolendum aliqua utilitas existere possit. Quamobrem, ut infectores lanam quibusdam antea sufficere medicamentis consueverunt, quam aut purpureum, aut alium quempiam colorem inducant; ita etiam, ut perpetua in animis nostris, quasi color, qui nunquam elui possit, opinio virtutis, atque honestatis insideat; ubi hisce profanis, externisque literis initiati, ac præparati fuerimus, tum demum sacras illas, atque arcanas disciplinas hauriemus; ac tanquam in aqua Solem intro-

ſpicere aſſueti, faciliùs deinde in immenſum illum ſplendorem oculos defigemus. Quod ſi aliquo inter ſe litteræ, atque artes omnes ingenuæ communi ſocietatis vinculo continentur, operæ pretium erit iſtas cognoſcere: ſin minus: illud quidem certè non parum ad meliora conferet comprobanda, ut, externis hiſce diſciplinis cum ſacris conferendis, facilè intelligamus, quantum ſacræ illis omnibus antecellant. Jam verò quid ſimile poſſis afferre, quo utramque vim, naturamque perſpicias? An quemadmodum arboris proprium munus eſt, ut pulchris, ac tempeſtivis pomis abundet; quemdam tamen ſolent ornatum etiam frondes, quæ in ramis agitantur, afferre; ita proprius quidem animi fructus eſt veritas, non tamen eſt indecorum externa quoque, ac profana ſapientia eſſe, quaſi frondibus, præditum, quæ & fructus defendat, & aſpectum præbeat non injucundum? Ergo & Moſes ille magnus, cujus nomen omnium ſermone celebratur, cum Ægyptiorum litteras cognoviſſet, ſe ſe tum demum ad eum, qui eſt, contemplandum dicitur contuliſſe. cui non

eſt

eſt illud de Daniele ſapientiſſimo, etſi poſterioribus ſæculis floruit, longè diſſimile: quem ferunt Babylone Chaldaeorum ſcientia ante percepta, divinam tandem ſapientiam attigiſſe. Verum ſatis hactenus, opinor, oſtendimus, non eſſe externas haſce diſciplinas inutiles. Reliquum eſt, ut jam dicamus, qua ratione ſint illæ vobis addiſcendæ. Ac primum quidem eos, qui poetis dant operam; (ut inde exordiar) quoniam magna eſt in iis varietas, non eſt omnium rerum æquè habenda ratio, quas illi perſequuntur. nam cum optimorum nobis virorum vel res geſtas, vel orationes proponunt, ea ſunt & amanda, & imitanda pro viribus: cum ſe verò ad ſceleſtos homines, nefarioſque convertunt, ab eorum eſt imitatione, obturatis auribus, profugiendum, non ſecus atque Vlyſſem dicunt Sirenun cantus evitaſſe. Qui enim improborum ſermonibus, & conſuetudine delectantur, ii ſibi viam quamdam muniunt ad improbitatem. Itaque omni cura, & vigilantia cuſtodienda mens eſt, ne verborum voluptate, atque illecebris capta, deterius aliquid imbibat, vel

que semel susceptam, facilè confici posse: at fastigio superato, inquit, videre licet, quàm plana sit, quàm pulchra, quàm facilis, ac pervia, quàm jucundior ea, quæ ducit ad vitium: quam tamen facilè iniri, cum sit paratior, atque expeditior, idem poeta testatur. At mihi ille quidem videtur, cum ista prosequitur, nihil aliud spectare, nisi ut nos cohortetur ad virtutem, & omnes alliciat ad probitatem: atque adeo nos confirmare, ut ne laboribus fracti, ac debilitati, ab instituto recedamus. Jam verò si quis alius hujusmodi quidpiam de virtutis laudibus proferat, quidquid nobis usui esse poterit, amplectamur. Ut autem ipse accepi de quodam viro, in poetæ sententiis perscrutandis acerrimo, omnis Homeri poesis virtutis est laus, atque apud ipsum eo universa referuntur, jis exceptis, quæ ornamenti causa, præter argumentum accesserunt. id quod volebat de jis existimari potissimùm, in quibus Cephallenorum ducem, nudum ex naufragio scribit esse servatum: & primum quidem à regina in quadam habitum veneratione, licet solus, &

nudus esset: tantum abfuit, ut ei nuditas fuerit, & solitudo dedecori; quoniam ipsum virtus, loco vestium, exornarat· tum reliqui Phoeacenses eumdem tanti fecerunt, ut ei è mensa, convivio, deliciisque relictis, assurgerent, & illum suspicerent universi, ac studio quodam æmulationis afficerentur: nemoque esset, qui nollet se Ulyssem, quamvis ex naufragio tunc ereptum, fieri. Etenim hac narratione poetæ mentis explanator ille ajebat, Homerum hisce propemodum verbis exclamantem, omnes mortales excitare voluisse. Vobis est homines, omnis cura, & cogitatio in virtute collocanda, quæ vel cum naufragis enatat, & nudum hominem, ad littus ejectum, efficit fortunatis ipsis Phoeacensibus clariorem. Sic enim se res habet. Cæterarum rerum possessiones non magis eorum sunt, qui eas habent, quam cujuslibet, ad quem illæ à fortuna deferantur. quę scilicet huc, & illuc tanquam in tesserarum lusu commigrare solent, atque transferri. Sola virtutis possessio stabilis est, ac diuturna, quæ eripi nunquam potest, & vivos nos,

mor-

mortuosque comitatur. Propterea sanè mihi contra divites dicere videtur Solon:

Ast ego divitiis, dives amice, tuis
Quid mutem virtutis opes? non deserit ista:
Hic modo divitias obtinet, ille modo.

Cum his autem illa consentiunt, quæ à Theognide dicuntur; qui Deum affirmat (quemcumque tandem ille Deum dicat) libram alias aliter appendere; ut jam quis omni bonorum copia circumfluat, mox verò summa prematur inopia. Quinetiam Prodicus ille sophista Chius horum quamsimillima in scriptis suis, de virtute, ac vitio philosophatur: cui viro danda est opera diligenter: neque enim ignobilis est, scribit verò in hanc sententiam, si rectè memini, cum ipsa verba non teneam, idque tantum retinuerim, quod in animo sine ornatu poetico, ac sine metro, ejus libris legendis, insedit. Herculi, ait, adolescenti admodum, atque eadem propemodum, qua vos nunc estis ætate, deliberanti, utram viam ingrederetur; eamne, quæ laboribus ad virtutem ducit, an

an alteram quamdam facillimam ; duas ſibi fœminas oblatas, virtutem alteram, alteram improbitatem, quę ſtatim vel tacentes ex ipſo habitu, & figura corporis, quàm inter ſe diverſæ eſſent, oſtenderent : eſſe enim alteram calamiſtris inuſtam, ad ſpeciem compoſitam, deliciis, atque luxu diffluentem, omni voluptatis comitatu conſtipatam : hæc illam oſtentare, ac multo jam plura pollicentem, ad ſeſe Herculem conari pertrahere. Alteram vero macie, ac ſqualore confectam, acri quodam vultu, longè alia dicere, nihil profuſum, ac molle promittere, nihil jucundum; ſed ſudores innumeros, laboreſque proponere, gravia terra, marique pericula : at horum omnium præmium eſſe (ut ille loquitur) Deum fieri : atque hoc ipſum præmium Herculem vel vita functum, quocumque pergeret, ſequuturum. Ac fermè omnes, qui de ſapientia verba faciunt, pro viribus quiſque in ſcriptis ſuis virtutis laudes perſequuntur. His profectò fides habenda, atque opera danda eſt, atque adeo efficiendum, ut, quæ illi oratione præcipiunt, nos vita, &

moribus

moribus exprimamus. Qui enim ab aliis, verbo tenus, tractatam philosophiam re, factisque confirmat, is unus sapit: cæteri tamquam umbræ volitant. Id quod perinde esse puto, ac si pictor pennicillo eximium quidpiam, hominis videlicet formam imitatus, talis ipse quoque re vera sit, qualem in tabella depinxerat. Nam publicè quidem laudare virtutem, ac de ea benè longam habere orationem, privatim autem voluptatem, pluris, quam continentiam putare, & nimiarum opum potentiam præferre æquitati, id equidem simile esse dixerim ei, quod in scena faciunt fabularum actores. Illi namque regum, vel magistratuum personam sustinent interdum, cum neque sint reges, neque dynastæ, ac ne liberi quidem interdum, & ingenui fortassè. Quid? incontentas fides musicus habere non facilè pateretur, neque chori princeps, non habere chorum sibi quam maximè concinentem; & quisquam nostrum à se dissidebit, neque vitam suam verbis congruentem præbebit? At lingua juravit, (inquiet ne cum Euripide) mentem injuratam gero; & vehemen-

men-

mentiùs contendet, ut videatur, quam ut sit vir bonus? Atqui summæ id est improbitatis, si qua Platoni fides est habenda: videri bonum, cùm non sis. Quamobrem è scriptis, quæ hujusmodi continent argumenta, ista solùm recipimus. Quoniam verò egregia veterum facinora, sive, ut quodque gestum est, & ab aliis traditum, à nobis memoria conservantur; sive poetarum, & historicorum scriptis ab omni oblivione vindicantur; quæ inde ad utilitatem nostram referri poterunt, non aspernabimur. Periclem (ut res illustretur exemplis) ex foro medio quidam conviciis exagitat, ille nihil commovetur; atque ita res ad vesperam usque perdurat: illum iste maledictis impunè proscindit, ille res agit alias, neque attendit, quid convicia postulent. Jamque vespere vix digredientem à se Pericles cum facem præferrente dimmittit, ne occasiosionem prætermitteret exercendæ virtutis. Euclidi Megarensi mortem minitatur quidam, idque se confirmat jurejurando facturum. Is contrà tamen jurat, jam daturum se operam, ut hominem placet, & illius

erga

erga se iracundiam patientia sedet, ac mitiget. Quanti tandem facienda est ei exemplorum hujuscemodi recordatio, cujus animus iracundia concitetur? Fides enim haberi tragoediæ nulla debet, cum illa proferat: Contra hostes furor arma ministrat: sed contra potiùs. Primum verò ne commoveri quidem nos decet iracundia. Quod si minus id facilè assequi possumus; at ne illa certè longius efferatur, ratione, tanquam fræno, reprimenda est. Verum ad rerum præclarè gestarum exempla, redeamus. Cædit quidam Sophronisci filium Socratem, in faciem ipsam insolenter impetum facit, is ne verbo quidem propulsat injuriam, sed eum se se debacchanti præbet, ut illum iracundiam explere facilè patiatur. Jam igitur ex plagis tumet, & subputrida tota facies cernitur. Ubi verò is verberandi finem fecit, Socrates quidem non alia ratione ulciscitur injuriam, nisi quod inscribit in fronte, ut in statua fieri solet: Ille fecit. Hæc igitur, quæ eodem, quo nostra referuntur, merito vestræ huic ætati censeo imitanda. Hoc enim Socratis exemplum illi præcepto res-

pon-

pondet, quo jubemur, genam percutienti etiam alteram præbere: tantum abest, ut ullas ab eo repetere pœnas liceat. Illud vero Periclis, vel Euchlidis non discrepat ab eo, quo monemur, ut eos æquo feramus animo, qui nos insectantur, eorumque iracundiam facilè toleremus: atque adeo illi persimile, quo inimicis jubemur vel votis conceptis benè cupere, iisque maledicere prohibemur. Quare, qui fuerit hisce antea externis exemplis eruditus, nostra ille, quasi fieri nulla ratione possint, non repudiabit. Illud autem Alexandri non tacebo, qui captas in bello Darii filias, mirabili quadam formæ pulchritudine insignes, ne aspiciendas quidem censuit: cum, qui homines cepisset, eum vinci à fœminis turpe duceret. Id namque eodem pertinet, quo illa: Qui mulierem ad voluptatem intuetur, quamvis adulter re ipsa non fuerit, eum tamen scelere non liberari, jam libidine animo concepta. Age vero Cliniæ, unius ex Pythagoræ familiaribus, difficile est credere cum nostris casu, non studiosa quadam, ac diligenti imitatione congruere. Quod

igitur

igitur egregium illius facinus tandem fuit? cum trium talentorum jacturam jurejurando possèt effugere, solvere maluit, quam jurare; cum tamen verissimum jusjurandum facere posset: non secus ac si (ut mihi quidem videtur) præceptum illud, quo nos jurare vetamur, audisset. Verum (ut id, quod initio dicebam, iteremus) non omnia nobis ex quocumque scriptorum genere capienda, sed quæcumque nobis intelligimus profutura. Turpe est enim noxios cibos in mensa rejicere; nullam disciplinarum rationem, quibus animus alitur, ac sustentatur, delectum nullum habere; sed quidquid offenditur, torrentis instar, attrahere. Ergo ventis vela non temerè dabit gubernator, sed navem ad portum semper aliquem diriget: ad scopum sagittarius tela torquebit; & vero faber quivis, aut architectus artis finem spectabit suæ: nos in rebus nostris perscrutandis, & cognoscendis horum artificum vincemur industria? neque enim existimandum est, ipsis quidem finem aliquem opificii esse propositum, quem sequantur in opere, scopum in hominum vita

nullum

nullum esse, ad quem verba omnia, factaque referantur ab eo, qui sibi velit nihil esse commune cum belluis? An verò per ignaviam, ut in navigiis non satis adhuc suburratis, ratione clavum animi non tenente, hac illac temerè agitabimur? At in ludis gymnicis, atque etiam (si mavultis) musicis, ad eos præmia deferuntur, qui se ad ludos antea exercitatione aliqua compararunt. Nemo autem est eorum, qui lucta, vel pancratio se exercent; qui cythara deinde studeat; vel tibia canere. non Polydamas id fecit, qui ante certamen illud Olympicum sistebat currus incitatos, atque ita suas vires confirmabat. Milo quidem certè ex inuncto scuto nunquam protrudebatur; ubi verò urgeretur, non secus, ac plumbo conglutinata statua resistebat. Exercitatio nimirum semper apud illos certamina præcedebat. Quod si Marsici pugiles, aut Olympici, relicto pulvere, ac palæstra, Phrygios consectarentur sonos; citò aut victrices coronas consequerentur; & gloriam; aut certè quominus ob corporis vastitatem, ac robur irriderentur, facilè perficerent. Non

tamen

tamen idcirco Timotheus, dulcis concentus facultate neglecta, se contulit ad palæstram. non enim si id egisset, cæteris omnibus antecellere musicæ gloria contigisset; qui tantum habuisse dicitur artificii, ut cum vellet, iracundiam, contento, austeroque cantu, concitaret; leniter, remisso, mitigaretque, cum vellet. Ergo is, hac arte, cum Phrygium apud Alexandrum caneret aliquando, dicitur eumdem inter cœnandum ad arma concitasse, ac rursus, ad convivas harmonia remissâ, revocasse. tantam vim ad id, quod est propositum, consequendum, in musicis, & in gymnicis certaminibus affert exercitatio. Age verò, quoniam coronarum, ac præmiorum mentio facta est: illi multis in rebus difficultates innumerabiles, molestiasque perpessi, undique sibi viribus auctis corporis, & confirmatis, multis antea gymnicorum laborum sudoribus, sæpè etiam à lanista plagis affecti, victu non jucundissimo, sed, qui à magistris præscribitur, utuntur; ac cætera (ne sim longior) ita constituunt, ut vitæ ratio, quæ certamen præcedit, quædam

sit



sit meditatio, præparatioq; certaminis : ac tum demum exiuntur ad stadium, omnes labores excipiunt, omnia pericula subeunt, ut oleastri, vel apii, vel alia quapiam hujusmodi corona donentur, & proclamentur à præcone victores. Nos verò, quibus tot, ac tanta præmia sunt rectè vivendi proposita, ut verbis nequeant explicari, in utramvis aurem, ut dicitur, dormientes, animo otioso, ac securo, alterutra manu à nobis illa apprendi posse confidimus? pretiosa profectò ignavia, desidiaque res esset in vita; & Sardanapalus certè primus omnium in beatorum numerum referendus, vel etiam (si malumus) Margites, quem negat Homerus aratorem esse, vel fossorem, aut in alia re ulla operam ponere, quæ sit ad vitam tuendam accommodata. Quod si hæc Homeri sunt, illa certè Pittaci veriora, cum dixit: Arduum esse opus, atque difficile, virtutem sequi. Enimverò multis etiam laboribus susceptis, vix tandem ea bona consequamur, quorum nullam esse in rebus humanis similem antea diximus. Non est igitur in turpi otio, atque inerti vivendum,

neque brevi cum requiete, atque desidia spes maximorum bonorum commutanda; si quidem velimus dedecus vitare, atque supplicia, non quæ nunc nobis hic ab hominibus impendent, (quanquam ne ista quidem sunt negligenda sapienti) sed quæ in improbos sunt in foro illo, sive sub terra, sive alibi constituta. Qui enim invitus peccat, illi quoque à Deo venia fortasse concedatur: at qui sciens, ac prudens deteriora sequitur, nulla se ratione defendet; neque multo plura vitabit, gravioraque supplicia. Quid igitur agendum, dicat quispiam? quid aliud, nisi ut animum curemus, omni cæterarum rerum cura relicta? Itaque non corpori danda est opera, quæ non ipsi necessariò debeatur; sed animo sunt optima quæque suppeditanda, idemque à societate corporis, tanquam à quibusdam turbulentorum motuum vinculis, philosophiæ beneficio vindicandus est; & simul, ut corpus ipsum ne effrænatis perturbationibus opprimatur, efficiendum. Ventri, quæ ad victum sunt necessaria, non quæ jucundissima, præbenda, ut ji facere solent, qui conviviorum magistros, epula-
rum-

rumque architectos quærunt, ac terras omnes, & maria lustrant, quasi ab illis alicui difficili, agrestique domino sint vectigalia persolvenda. ob quam videlicet occupationem miserandi sunt, quibus cum nihilo agatur levius, quàm cum jis, qui apud inferos cruciantur. Hi enim re vera ignem verberant, cribro ferunt aquam, dolio hauriunt perforato, nullumque possunt laborum exitum invenire. Et compositum quidem, ac delibutum habere capillum, vestibusque uti pretiosioribus, quam necessitas postulat, aut miserorum est hominum, (ut Diogeni placuit) aut eorum, qui nefaria facinora committunt; itaque nimis eleganter, curiosèque ornatum esse; atque hujusmodi fama celebrari, æquè turpe habendum censeo, ac luxuriosè vivere, vel aliena inire cubilia. Quid enim sapientis interest, utrum trabea induatur, an vulgari aliquo vestis genere, modo nihil desideret sive ad frigoris, sive ad coloris injurias repellendas? De cæteris eadem ratione præcipi potest, ut ne modum excedamus in jis parandis, quæ minimè necessaria sunt, neque in corpore exornando si-

mus,

mus, quam animo ſit utile, diligentiores. Non enim minus turpe eſt, quempiam venuſtè compoſitum, corporiſque amantem dici, qui ſit hominis re vera dignus nomine; quam ſi alia quapiam animi ægritudine laboret. Etenim omne ſtudium eò conferre, ut quamoptimè ſe corpus habeat, hominis eſt, qui ſeipſum minimè norit, neque ſapientis dictum illud intelligat: Non id videlicet, quod oculis cernitur, eſſe hominem, at majore quadam opus eſſe ſapientia, qua ſe quiſque noſtrum ipſe perſpiciat. Faciliùs autem, qui lippis eſt oculis, in Solis radios adverſos figet obtutum, quàm ut quiſpiam ſe ipſe noverit, niſi animo ritè priùs expiato. Animi autem expiatio (ut rem paucis perſtringam, quantum veſtra hæc ætas poſtulat) in voluptatibus jis negligendis verſatur, quæ ſenſibus capiuntur: & in avertendis oculis tum ab earum rerum aſpectu, quæ abſurdè, atque indecorè proficiſcuntur ab jis, qui ſe miranda facturos profitentur, tum ab jis corporibus contuendis, unde aliqua voluptatis quaſi titillatio poſſit exiſtere: abducendis denique auribus ab eo genere

musicæ, qua animi labefactantur. Ex ea enim perturbationes animi, ac motus incompositi, atque abjecti oriuntur. Verum alterius generis musica persequenda à nobis est, quæ & ipsa melior est, & ad meliora perducit. ea enim ille sacrorum carminum vates David furore percitum regem, ut est in sacris libris, ad sanitatem mentis revocavit. Pythagoras quoque fertur, cum in ebrios quosdam lascivientes incidisset, cantorem saltationis concentum aggredientem, in eos more Dorico canere jussisse. ji verò ita dicuntur nova illa ratione cantus, ac sonorum resipuisse; ut abjectis coronis, sese inde subduxerint erubescentes. At ad tibiam cæteri Corybantum more insaniunt, ac debacchantur: tantum est inter sanam, ac sobriam musicam, vitiosamque discrimen. Quocirca qua, nostra ætate, homines maximè capiuntur, ea nobis non secus ac turpissima quæque flagitia, respuenda est. Atque me jam quidem pudet odoribus, ac suffimentis, aut unguentis interdicere, quibus sensus afficitur voluptate. Quorsum autem non esse persequendas voluptates, conemur osten-

dere, quæ tactu, gustuque continentur, quæ cogunt eos, qui in ipsis occupantur, pecudum more, vitam agere, ad ventrem, venereasque voluptates omnia referentium? Atque, ut rem totam comprehendam brevi, negligendum est omninò corpus ei, qui voluptatum cœno volutari, atque obrui nolit: aut certè tantum corpori serviendum est, quantum est opus, ut illud philosophiæ serviat, ut sensit Plato. Idque cum Pauli præceptis congruit, qui monet, nulla ut in re corpori indulgeamus, quæ cupiditatum possit materiam suppeditare. ji verò, qui, ut corpus quamoptimè se habeat, diligenter curant; animum verò, quem corporis opera uti oportet, ita contemnunt; quid ab jis differunt, qui, ut optima habeant instrumenta, elaborant, artem, quæ illis utitur, aspernantur? Sed contrà potiùs, frẹnare, & continere corporis, quasi belluæ cujusdam, impetus decet, & motus turbulentos, ac tumultus, qui ab ipso in animo concitantur, ratione, tanquam flagello, cohibere. non voluptatum habenis omninò laxatis, sinere mentem debemus, quasi auri-

gam ab effrænatis equis, qui violento agantur impetu, ferri transversam. Illud Pythagoræ memoria repetendum est, qui ex familiaribus quemdam cum cognivisset exercitationibus, epulisque distendi: Non desines, inquit, difficiliorem quotidie, ac molestiorem tibi carcerem parare? Quare Platonem etiam ferunt, cum intelligeret, quid animo corpus possit officere, insalubrem Atticæ agrum, Academiam de industria delegisse, ut nimis commodam corporis affectionem, ac valetudinem, quasi quamdam vitis luxuriem, amputaret. Ego verò accepi quoque à medicis, ad summum perductam bonam corporis constitutionem, ac valetudinem abesse à periculo non procul. Quando igitur neque corpori ipsi est hæc nimia corporis cura salutaris, & est animo valdè perniciosa; illi certè succumbere, atque obsequi hominis est extrema, atque aperta dementia laborantis. At certè, si hoc negligere omninò conaremur, vix quidpiam ex hac vita suspiciendum putaremus. Quis enim divitiis relinquatur locus, corporis voluptatibus abjectis, equidem non video. Nisi

for-

fortè aliquam voluptatem habeat, quod poetæ de draconibus fabulantur, defossis thesauris invigilare. is certè, qui liberaliter, atque ingenuè sit ad res hujusmodi institutus, non adducetur, ut humile aliquid, vel turpe, aut re ipsa suscipiat, aut oratione. Quod enim præter necessitatem redundaverit, quamvis Lydorum arenas aureas, quamvis formicarum, aurum circumferentium, opus proponas; id totum tanto magis contemnet, quanto minus egebit, ipsumque usum naturæ necessitate, non voluptate metietur. Itaque necessitatis fines qui transiliunt, iis penè similes fiunt, qui ex prærupto aliquo loco præcipites aguntur: cum enim stabile nihil habeant, quo nitantur, nusquam contra incitatum impetum sustinentur. Sed quanto divitiarum copia majore circumfluunt, tanto majore laborant inopia, ut effrænatæ libidini satisfaciant. Id Solon vidit, cum ait:

Terminus haud ullus rebus sine fine parandis.

Theognides quoque in his, tanquam magister, audiendus est, cum ait:

Non amo divitias , non opto : vivere paucis
O utinam liceat ; me mala nulla premant .

Ego verò etiam Diogenis miror illam rerum omnium humanarum despicientiam ; qui se vel ipso Persarum rege ditiorem affirmabat, quòd ad vitam paucioribus indigeret. At nobis quamvis Pythii Misii talenta sint , & jugerum sexcenta millia , & armentorum infinitus numerus , nunquam contenti sumus . Verum , ut opinor , decet , divitias quidem si absint, non expetere ; sin adsint , de jis non ante, quam uti noveris , gloriari . Scitum est enim illud Socratis, qui hominem divitem se se jactantem , non priùs admiraturum se esse dixit, quàm periculum faceret, an illis facultatibus uti nosset . Ac Phidias quidem , & Polycletus, si in auro, atque ebore se jactassent, quibus alter Heliensibus Jovem, Argivis alter Junonem finxerat ; irridendi essent, si alienis divitiis exultarent potiùs , quàm suo illo artificio, quo vel aurum ipsum pretiosius efficiebatur , & gratius. Ipsi verò , si ad hominem exornandum , humanam

nam minus posse virtutem existimemus, minore irrisione dignos nos esse censebimus? At enim divitias quidem despiciemus, neglectis etiam voluptatibus jis, quæ sensibus corporis percipiuntur: verumtamen assentationes, atque blanditias amplexabimur, & vulpeculæ, quæ est apud Archilochum calliditatem, atque versutiam imitabimur. at nihil est magis fugiendum sapienti, quam ex imperitorum sententia vitam ducere, ac vulgi rumusculos aucupantem, non optimam sibi rationem constituere vivendi ducem; ita ut, quamvis ab omnibus hominibus dissentiendum, quamvis malè audiendum, quamvis periculum pro honestate subeundum; quod rectum semel esse perspexerit, ab eo nunquam deducatur. Quid verò dicemus inter eum, qui aliter sit affectus, & Ægyptium illum sophistam interesse, qui suo arbitratu, modò fiebat arbustum, modò fera, modò ignis, modò aqua, modò quodcumque, aliud voluisset? Siquidem & ipse modò justitiam collaudabit apud eos, qui eam habent in prætio, modò contraria dicet, (id quod adulatorum

eſt proprium) quando injuſtitiam ſenſerit probari. Et quemadmodum Polypum ajunt colorem pro ſubjecta ſibi terra mutare; ſic ille ſeſe ad alterius non modò ſenſum, & voluntatem accommodabit, ac finget; ſed ad vultum etiam, atque nutum. At verò è ſacris voluminibus hujuſmodi res commodiùs addiſcemus, hoc verò tempore id totum, ut ſit quædam virtutis adumbratio, diſciplinis externis inchoabimus. Qui enim ſummo ſtudio, ſibi ex illarum ſingulis utilia colligunt, ad eos, ut magnis fluviis cernimus, multæ fieri undique acceſſiones ſolent. Etenim proverbium illud, quod eſt apud poetam: Parum exiguo adjungendum; non magis ad pecuniæ putandum eſt, quam ad cujuſvis ſcientiæ amplificationem pertinere. Et Bias quidem ille ad Ægyptios iter habenti filio, & quid agendum ſibi eſſet, quod parenti foret gratiſſimum interroganti: Illud mihi, inquit, erit in primis gratum, ſi viaticum tibi in ſenectutem paraveris: virtutem videlicet viaticum appellabat. Sed nimirum exiguis illam terminis definivit, cum ejus fructum, & emolu-

lu-

Iumentum, humanæ vitæ finibus circumscripsit. Ego verò etiamsi Tithoni quispiam ætatem proferat, etiamsi Arganthonii, etiamsi Mathusalæ illius, qui apud nos diutissimè vixit, quem ad mille annos, demptis triginta, vitam perduxisse accepimus; etiamsi omne post homines natos tempus emetiatur, ut ludicram istam sententiam, puerilemque ridebo: quippe qui diuturnum illud respiciam spatium, ac sempiternum, cujus non magis ullum terminum hominis cogitatio capiat, quam possit immortalis animi obitum comprehendere. Ad hoc vos ævum, ut viaticum paretis, hortabor, atque ut omnem, ut dicitur, lapidem commoveatis, nihilque omninò prætermittatis, unde ad illud utilitas aliqua manare possit. Neque verò, quòd ista difficilia sint, atqua ardua, propterea cessandum est: sed illud memoria repetentibus nobis, oportere optimè vitam unumquemque suam instituere; sperare tamen consuetudine jucundiorem, ac leniorem fore; optima quæque, ac præclarissima sunt aggredienda. Turpe est enim, nos præsenti tempori servientes, id spe-

rare, quod præteriit, poſſe revocari, quando nihil nobis ulla res proderit, ad levandum dolorem. Atque ego quidem, quæ optima eſſe duco, partim jam dixi, partim in omni reliqua vita vobis indicabo. Ipſi verò ex tribus morborum generibus nolite, videri vos eo potiſſimum genere, quod eſt inſanabile, laborare: cavete ne in animi ægritudinem incidatis, illi perſimilem morbo, qui eſt in corpore graviſſimus, nam qui levi aliquo tantùm morbo laborant, ad medicos adeunt ipſi per ſe: qui verò graviùs ægrotant, eos accerſunt, à quibus curari poſſint. At, qui ſunt in extremum ſalutis adducti diſcrimen, ac de ſede mentis ægritudinis impetu deturbati; medicos ne accedentes quidem ad ſe ſanandos admittunt. Quod jam ne vobis contingat, ſi optima rejeceritis conſilia, providete.

SAN-



SANCTI PATRIS NOSTRI

IOANNIS

CHRYSOSTOMI,

Archiepiſcopi Conſtantinopolitani

ORATIO.

Qui ſibi ipſe non facit injuriam, lædi ab ullo non poſſe.

Pomponio Brunello interprete.



Ideo equidem fore, ut nova, & admirabilis videatur oratio mea rudioribus quibuſdam, quique rebus præſentibus inhiantes, jacent humi defixi, corporis voluptatibus ſerviunt; rebus,

quæ intelligentia continentur, non admodum adhærescunt: scio, inquam, fore, ut nos ex ipso nostræ propositionis exordio rideant, temeritatisque condemnent, qui ea dicamus, quæ incredibilia videantur. Neque tamen à proposito recedemus, quin etiam ea, quæ polliciti sumus, vel ob hanc ipsam potissimùm caussam, magno studio, & alacritate comprobare conabimur. Si enim voluerint, qui ita sunt affecti, non tumultuari, vel turbas concitare, sed orationis exitum expectare, non dubito fore, ut partes nostras sequantur, seque ipsi condemnent, quippe qui fuerint antea decepti, atque adeo, ut tanquam velificatione commutata, quòd minus rectè antea senserint, resipiscant, veniam deprecentur; nobis gratiam plurimam habeant, ut medicis ægroti, morbis nimirum liberati, quibus antea conflictabantur. Neque verò præjudicatam mihi aliquam jam afferas opinionem, sed orationis nostræ cursum præstolare; tum demum syncerè poteris ferre sententiam, cum nihil te ob inscitiam, quo minus rectè judices, impedierit. Qui enim in huma-

humanæ vitæ caufis dijudicandis verfantur, quamvis priorem oratorem orationis copia fluere, obruereque omnia eloquentia viderint; priùs tamen, quàm alterum diligenter audierint, extorqueri fibi fententiam non patiuntur. Verum quamvis orator prior æquiffima dicere, iterum atque iterum videatur, aures tamen integras, & incorruptas alteri quoque confervant. Illa enim maximè propria eft judicum virtus, ut patienter utriufque antea caufa cognita, fuam ipfi demum fententiam dicant.

Quoniam igitur communis opinio, multorum mentibus præcepta, ac diuturno tempore confirmata eft; oratoris more, toto terrarum orbe hujufmodi verba facit: Omnia, inquit, humana, divinaqua jura violantur, perturbatur humanum genus, vehementerque jactatur; multi quotidie afficiuntur injuriis, divexantur, exagitantur, violantur, à valentioribus imbecilli, pauperes ab opulentis. Atque ut maris fluctus numerari non poffunt, ita neque illorum multitudinem fatis novimus, quibus parantur infidiæ, qui contu-

meliis jactantur, qui calamitatibus opprimuntur. Non legum descriptio, ac moderatio, non judiciorum metus, non aliud quidpiam pestem hanc reprimit; sed longius serpit in dies, ac rubustius efficitur malum: atque eorum, quibus fiunt injuriæ, gemitibus, querimoniis, lachrymis omnia commiscentur. Quin etiam judices ad hæc dirigenda, conformandaque delecti, concitatam augent tempestatem, ac morbum producunt longius.

Hinc verò ex jis complures, qui stultiùs sunt, miseriùsque affecti, novo quodam furore perciti, Dei providentiam accusant, dum virum bonum, ac moderatum cernunt agitari sæpè, angi, lacerari; audacem verò, multitudini fordimabilem, truculentum: ignobilem, atque obscuro loco natum, magnas divitias, opesque nancisci, atque ab eo moderatiores infinitis vexari molestiis, facinora in civitatibus, in agris, in solitudinibus, terra, marique perpetrari. Quare necessariò hæc nobis oratio instituitur ad ea, quæ diximus, confutanda, & ad causam novam quidem agendam, (quod initio dixi)

dixi) atque à vulgi opinione abhorrentem; ſed utilem tamen, ac veram, & jis, qui velint attendere, atque aſſentiri, perutilem. Recipit enim illa, ſe probaturam, (verum ne perturbemini) neminem, qui violetur injuria, ab alio violari, ſed à ſe ipſo lædi. Atque, ut planior fiat oratio, age, primum quid ſit injuria, inquiramus, & quam tandem ei materiam natura ſubjecerit; quidnam humana ſit virtus, quid eam lædat, quid id ſit, qnod etiam ſi lædere videatur, non tamen lædit, indagemus. Exempli cauſa, (eſt enim exemplis oratio illuſtranda) res ſingulæ quiddam habent, unde vitientur: rubiginem ferrum, tineam lana, lupos ovium greges. ac vini quidem virtuti officitur, cum evaneſcit vetuſtate, & coaceſcit: mellis, cum dulcedinem inſitam perdit, & in amarum ſuccum commutatur. ſegetum verò ubertatem ærugo, & ſqualor; vinearum fructum, frondes, palmites improbus ille locuſtarum exercitus populatur: alias etiam arbores brucus oppugnat. multa animalia variis morborum generibus extinguuntur. At-

que

que (ne, si omnia consectenter, longius excurrat oratio) etiam naturæ nostræ febres, nervorum dissolutiones, aliorumque morborum quamplurima genera adversantur. Quoniam igitur singula aliquid habent, quo ipsorum vis, ac virtus labefactatur; age jam quid sit etiam hominum generi detrimento, quidve sit humanæ virtuti contrarium, videamus.

Ac vulgo quidem, nescio quæ alii alia opinantur, oportet enim falsas quoque opiniones recensere, jisque profligatis, id, quod re vera virtutibus nostris officit, in medium afferre, planèque ostendere, neminem eam nobis iniuriam facere posse, neque detrimentum eiusmodi, si minus nos ipsi prodiderimus, afferre. Et verò vulgo falsa quadam opinione decepti, quæ virtuti nostræ obsint, alii alia esse opinantur: alii paupertatem, alii corporis morbum, alii facultatum iacturam, alii calumniam, mortem alii esse arbitrantur, eaque deplorandi, ac lamentandi nullum finem faciunt. Ac dum eos, quibuscum malè agitur, miserantur, ac lugent: dumque se inter se perterre-

terrefaciunt, iſta ſolent mutuis uſurpare ſermonibus : Qua ille tandem premitur calamitate ? omnibus eſt repentè ſpoliatus bonis. Alius de alio: Ille verò, inquit, in gravem morbum, periculoſumque prolapſus, ab jis eſt, qui adhibebantur, medicis deſperatus. Atque alius in carcere detentos, alius expulſos è patria, & in exilium ejectos; alius libertate, orbatos, alius ab hoſtibus captos, & in ſervitutem abductos; alius naufragio demerſum, ſive combuſtum; alius ædium ruina oppreſſum, lamentis, gemitibusque proſequitur. Atqui turpiter viventes deplorat nemo. Quin etiam (quod eſt omnium indigniſſimum) eos ſæpè permulti beatos prædicant : quæ profectò eſt malorum omnium cauſa. Age igitur (at, quod in exordio rogavi; ne tumultuemini) oſtendamus, nulla re harum, quas diximus, lædi moderatum, probum virum, nulla re illius virtutem poſſe convelli. Quid enim obſecro ei, qui omnia, bona perdidit, aut cui ſit omnis vel à calumniatoribus, vel à furibus, vel ab improbis etiam famulis res direpta familiaris : quid, inquam, ei,

ei, si hominis propriam virtutem spectes, hæc jactura attulit detrimenti? Verum demonstremus potiùs, si videtur, primum, quidnam sit hominis virtus, in rebus aliis orationem priùs exercentes, ut ipsa faciliùs intelligatur à populo, illustriorque reddatur. In quo igitur equi virtus exempli causa, consistit? an ut aureum frenum habeat, aurea lora, instratum sericum, stragulam vestem ornatam, variam, auroque contextam, gemmatas phaleras, jubas aureis funiculis intertextas? an potiùs ut ad cursum sit expeditus, rectis præditus cruribus, ad numerum ingrediatur, ungulas habeat generoso equo congruentes? ut robur & in longis itineribus, & in bellis obtineat? ut in acie, ac prœlio spiritus, audaciamque conservet, suumque possit in fuga servare sessorem? Nonne perspicuum est in his rebus, non in illis equi versari virtutem? asinorum verò, ac mulorum quam tandem dixeris? nonne ut expeditè onera ferre possint, facilè itinera facere; utque robustis, solidisque ungulis sint præditi? num externa, quæ illis adjiciuntur, quidpiam ad pro-

propriam illorum virtutem conferre dicemus? nequaquam. Quam verò vineam suspiciemus? eam ne, quæ frondibus, palmitibusque luxuriet; an quæ fructu, racemisque deprimatur? Quam oleæ virtutem dicimus? quando ne patulis diffusa est, procerisque erecta ramis, & densam habet frondibus comam; an quando suos fructus uberes, ac lætos ostentat? Eamdem porrò rationem in hominibus adhibeamus: virtutem hominis expoliamus, ac dijudicemus, & illud esse duntaxat detrimentum censeamus, quo ipsa labefactetur.

Quæ est igitur hominis virtus? non divitiæ; ut paupertatis timor invadat: non corporis valetudo, ut morbum reformides: non vulgi existimatio, ut infamiam timeas: non temerè acta vita, ut mortis horrore concutiaris: non libertas, ut fugias servitutem; sed verarum sententiarum, consiliorumque perfectio, ac recta vitæ traducendæ moderatio. hæc autem ne diabolus quidem ipse diripiat, si is, qui ea possidet, qua par est diligentia, tueatur. At hæc dæmon etiam ille improbissimus, atque imma-

Virtus hominis.

immanis novit. Propterea enim Jobi fortunas evertit, non ut illum paupertatis onere premeret; sed ut aliquod ab eo verbum in Deum contumeliosum extorqueret. corpus etiam laceravit, non ut illum morbo implicaret, sed ut animi virtutem labefactaret. Verumtamen omnes machinas admovit ille quidem, & ex divite pauperem reddidit, multorum filiorum prole felicem (id quod omnium profectò videtur esse maximè formidabile) liberis orbavit; ejus præterea corpus totum, graviùs, quàm lictores in foris judicialibus, laceravit. Non enim tantum tortorum ungues effodiunt eorum latera, qui in ipsorum incidant manus, quantum illius carnes ore vermium dilaniarant. Idem ipsi ille præterea ignominiæ inussit, & infamiæ notam. In congressu enim amici dicebant: Nondum poenas sceleribus tuis debitas persolvisti, ac pluribus verbis illum accusabant. Neque illum urbe, ac domo solùm dæmon ejecit, & in aliam urbem transtulit; sed sterquilinium illi pro domo, ac civitate constituit. Non modò tamen ipsi damnum non intulit, sed per eas ipsas, quas tendebat

debat insidias, illum reddidit illustriorem. Ille verò non modò jacturam nullam ex jis rebus, quarum potiebatur, non fecit, quamvis tam multis spoliatus; sed majores sibi virtutis divitias comparavit. Etenim postea cœpit libertate frui majore, quippe qui graviore in pugna decertasset. Ergò si tot, ac tanta perpessus nihil est ille violatus; quamvis præsertim non ab homine, sed à nequiore cunctis hominibus dæmone vexatus; quis ex jis, qui dicunt: Ille me injuriis, ac detrimento afflixit; excusatione scilicet dignus erit? Nam si diabolus tanta nequitia refertus, omnibus adhibitis machinis, telisque omnibus contortis, & quæcumque in hominibus essent acerba, affatim in viri justi domum, & caput effusis; nihil tamen homini nocuit, sed, ut jam diximus, profuit potiùs; qua tandem ratione quidam poterunt modò hunc, modò illum criminari, quasi qui ab aliis, non à se ipsi violentur injuria? Quid? nonne diabolus (dixerit quispiam) Adamum violavit, decepit, extrusit paradiso? minimè is quidem, sed ejus, qui accepit injuriam, languor,
&

& ignavia. Etenim cum dæmon,
Iob. 1. *i* tot, ac tantis machinis admotis, Jobum prosternere minimè potuerit; quinam Adamum per infermiora vicisset, nisi se ille per suam ignaviam prodidisset? Quid? ergò ille, qui in calumniatores inciderit, & cui publicata sint bona, non violatur; quamvis fortunis omnibus everratur, & patrimonio expellatur; quamvis ei sit cum extrema egestate certamen? Nulla violatur injuria, sed lucrum facit, si excubet, vigiletque. Quid enim, obsecro, id Apostolis obfuit? nonne cum fame, siti, nuditate assiduè dimicabant? quin etiam ob ea ipsa illustris fuit illorum gloria, & magnam sibi apud Deum auctoritatem conciliarunt. Quid Lazaro mor-
Luc. 16. *e* bus, ulcera, inopia, solitudo ab jis, qui præsto essent, detrimenti attulit? nonne inde pulchriores ipsi nectabantur coronæ? Josephus verò, quid
Ge. 36. & 39. *d* tandem damni fecit, quòd & domi suæ, & alienæ laborarit infamia? Etenim & adulter, & impurus amator est habitus. Quid verò eidem servitus nocuit? quid patria pelli, & exulare? nonne illum propterea maximè admiramur, atque suspicimus?

mus? Verum quid ego de profectione in exilium dico, de egestate, de ignomia, de servitute? Ipsa enim mors Abelem qua tandem injuria perculit, violenta, immatura, ipsius manu fratris allata? Nonne propterea ubique terrarum canitur, ac celebratur? Gen. 4. b

Vides, ut plura, quam recepit jam persolvit oratio? Non modò enim neminem à quoquam lædi planum fecit; verum etiam plus lucrifacere illos, qui attendant, atque animis excubent.

Quorsum igitur animadversiones, atque supplicia? quorsum gehenna? quorsum tot, ac tantæ comminationes, si nemo accipit, neque facit injuriam? Quid ais? quid orationi tenebras offundis? neque enim injuriam facere neminem, sed nemini fieri confirmavi. Qua ratione, dices, hoc fieri potest, ut tam multis violantibus, nemo violetur injuria? nempe ob eam causam, quam modò explicavi. Quoniam injuria quidem Josephum fratres affecerunt, is verò non accepit injuriam: & Abeli paravit quidem Cainus insidias, ipse verò nullis est insidiis circumventus.

Pro-

Propterea sunt animadversiones, atque supplicia constituta. Neque enim Deus ob illorum, qui vexantur, virtutem, supplicia subtrahit, sed ob illorum improbitatem, qui peccant, supplicia, pœnasque constituit. Nam, tametsi qui appetuntur insidiis, illustriores fiunt; non tamen est id eorum consilii, qui parant insidias, sed illorum virtutis, quibus tendantur insidiæ. Propterea his quidem philosophiæ, virtutisque præmia; illis vero improbitatis pœnæ proponuntur, & comparantur. Fortunæ tibi, & opes ereptæ sunt? dic: Nudus egressus sum ex vtero matris meæ, & nudus revertar. Adde illud Apostolicum: Nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium quod nec auferre quid possumus. Male audis, ac sexcentis te onerant maledictis? Revoca in mentem vocem illam: Væ vobis, quando bene dixerint vos omnes homines. & illud: Gaudete, & exultate, quando ejecerint, & exprobraverint nomen vestrum, tanquam malum. In exilium pulsus es? cogita hic te patriam non habere. Quod si sapientiæ te studiosum profiteris esse cultorem, vel omnes terras

Job. 1. b.

1. Ti. 6. b.

Luc. 6. b.

Luc. 6. c

ras

ras externas juberis existimare. At 2. Cor. 4. d.
morbo gravi conflictaris? Vsurpa illud Apostoli: Quanto magis exterior homo noster corrumpitur, tanto magis interior renovatur de die in diem. At mortem quis pertulit violentam? Joannes tibi in mentem veniat, & in custodia caput abscissum, quod in disco allatum meretriciæ merces saltationis fuit. Cogita qua ratione hæc mala compensentur; nam omnibus hujusmodi perpessionibus, siquidem immeritò contingant, & peccata expiantur, & virtus excercetur: tanta in eos, qui animo elato, magnoque hæc ferunt, ex jis utilitas emanat. Cum igitur non divitiarum jactura, non calumniæ, non convicia, non exilium, non morbi, non tormenta, non ipsa mors, quæ rerum omnium videtur esse maximè formidabilis, noceat jis, quibus hæc accidunt, atque adeo magis prosit, unde mihi probaveris, injuria quempiam affici, cum inde nulla injuria afficiatur? Ego enim contra probare conabor, eos nimirum vexari injuriis, detrimentum capere, & extrema quædam supplicia perpeti, qui horum malorum sunt auctores, ac

 duces.

duces. Quid enim Caino, qui ita fratrem accepit, fingi miserius potest? quid Philippi uxore, quæ Joannem obtruncavit, miserabilius? quid Josephi fratribus, qui eum divendiderunt, & in exilium ejecerunt? quid verò diabolo, qui Jobum tot malis affecit? Is enim & aliorum flagitiorum, & harum quoque insidiarum pœnas dabit non exiguas, non qualescumque.

Vides, ut plura etiam hoc loco, quam proposuit, ostendit oratio? non solùm illos, qui illuduntur, nullam ferre jacturam ab insidiatoribus istis, verum totam perniciem in ipsosmet insidiatores solere recidere? & in eorum caput omnia redundare? nam quoniam non divitiis, non libertate, non patrio domicilio, non aliis, quæ recensui, sed animi officiis virtus hominis constat; meritò, quando hæc læduntur, nullum virtus hominis patitur detrimentum. Quid sit igitur, quo ille animi vigor à quopiam infringatur? Nec ab alio, si is quidem violetur, sed intrinsecùs, & à se ipso violatur. Quo modo intrinsecùs, & à se ipso dixerit quispiam? si quis cæsus ab aliquo, spoliatus fortunis, gra-
vem

vem aliquam cujuſpiam vexationem perpeſſus, probrum aliquod, vel maledictum proferat; accipit hic, ille quidem detrimentum, non ab eo tamen, qui illud, ſed à ſui ipſius animi ignavia, & abjectione. Quod enim ante dixi, iterare non verebor. Nemo omnium, quantumlibet improbus, nefario illo dæmone, ac diabolo, qui hoſtis eſt in nos implacabilis, ſceleſtiùs, vel graviùs in quemquam impetum faciat. Sed tamen ſævus hic dæmon non potuit illum, qui legis, qui gratiæ tempora præceſſit, tot undique in ipſum, tanquam acerbis telis contortis, labefactare, vel dejicere: tanta eſt animi nobilitas, atque præſtantia. Quid verò Paulus? nonne tantas calamitates pertulit, quas ne percenſere quidem facilè quis poſſit, dum retineretur in vinculis, vinciretur catenis, duceretur, circumduceretur, à Judæis cæderetur, lapidibus appeteretur, non loris tantùm, ſed virgis quoque verberaretur, naufragio jactaretur, ſæpè in latrones, & graſſatores incideret, à ſuis tribulibus oppugnaretur, ab inimicis, à notis aſſiduè jactaretur, ſexcentis premeretur inſidiis, cum fame,

ac nuditate pugnaret, crebras alias incursiones, animi, & corporis ærumnas, atque incommoda pateretur: quid multa? cum quotidie moreretur? Veruntamen, cum tot, ac tanta sustineret, non modò verbum nullum impium, vel contumeliosum protulit, sed gaudebat propterea, & gloriabatur. Ac modò quidem ait: Gaudeo in passionibus meis; modò rursus: Neque id solùm, sed gloriemur in tribulationibus. Quod si, cum tot cruciatus ille perferret, lætabatur tamen, & sibi propterea placebat; quam tu veniam, quam defensionem habebis; qui cum ne minimam quidem illorum partem feras, non tamen te maledictis abstineas? At alia ratione afficior, dices, injuria, quamvis maledicta contineam. Divitiis spoliatus ad eleemosynam reddor imparatus. meræ nugæ, & causæ sunt istæ. Si enim propterea doles, intellige planè paupertatem non esse eleemosynæ impedimentum. nam quamvis paupertate premaris, mulieris illius paupertatem certè non superabis, quæ farinæ pugillum duntaxat unum habebat: neque adeo alterius mulieris, cui tantùm duo erant oboli. qua-

Col. 1.d.
2.Thes. 1.b.

quarum utraque, ubi in indigentes omnem facultatem effudisset, miris laudibus est elata: neque tantæ benignitati tanta offecit, aut obstitit paupertas. Verùm duorum obolorum tam liberalis fuit, atque ampla donatio, ut omnes divites obscuraret, eosque, qui multos numos conjecerant excelsi animi divitiis, & alacritatis præstantia, superaret. Quare neque hic tibi injuria facta est, sed quæstus majores, uberioresque fecisti, qui exigua largitione illustriores coronas capias, quam ji, qui plurima conferant. Verùm, quoniam (licet hæc millies iteremus) homines plus æquo corpori indulgent, seque in rebus hujus vitæ libenter ingurgitant; rerum præsentium voluptate illecti; non facilè se à putrescentibus flosculis patiuntur avelli, (tales enim sunt hujus vitæ deliciæ) neque umbras de manibus deponere volunt. Verùm paulò moderatiores humana, & divina complectuntur: qui verò sunt magis adhuc perditi, ac miserandi, illis, majore ex parte, his verò multo se minùs, ac leviùs tradunt. Age jam, turpium harum, & contemptarum rerum speciosa abjecta

persona; turpitudinem impudicæ mulieris aperiamus. Est enim tale quiddam hujusmodi vita, quæ deliciis, & principatibus inhiat. Est, inquam, res turpis, fœda, execranda magnoperè, injucunda, gravis, acerbitatis plena. Hoc enim illud est, quod ea captis nullum veniæ relinquit locum: quod, cum hæc vitæ ratio tanta molestia sit, & acerbitate referta, expetenda tamen eis videatur, & summo studio persequenda; & quamvis sexcentis sit calamitatibus, capitis periculis, casibus, scopulis, cædibus, timoribus, horroribus, invidiæ, obtrectationi, insidiis, curis perpetuis, angoribusque proposita: quamvis nullum habeat quæstum, nullum fructum percipiat ex tantis calamitatibus, præterquam supplicia, animadversiones, tormenta perpetua: cum talis, inquam, sit, optanda tamen, & expetenda vulgo censetur: id, quod ex illorum stultitia, qui ea capiuntur, non ex rei dignitate proficiscitur. Etenim pueruli quoque ad res ludicras, & inanes rapiuntur; rerum graviorum, & quæ viros deceant, ne sensum quidem ullum percipere possunt. At il-

lis

lis venia propter ætatem immaturam datur. Hi, qui perfecta in ætate puerilem animum gerant, nullam habent excusationem, quique sint etiam longè, quam pueri, stultiores. Nam cur tandem obsecro, sunt expetendæ divitiæ?

Hinc enim disputationis primordia capienda. Etenim valetudine, vita, populari gloria, bona existimatione, patria, propinquis, amicis, affinibus, aliisque universis rebus, morbus iste plerisque eorum, qui eo laborant, videtur esse præstantior. Atque adeo ad ipsas jam nubes rogus videlicet ascendit, jamque terras, & maria fornax ista complectitur. Neque est ullus, qui flammam tantam restinguat: qui verò inflammet, atque incendat, nemo non est ex omnibus, qui partim jam irretiti tenentur, partim nondum retenti, nihil non agunt, ut capiantur. Atque singulos quisque viderit, viros, fœminas, servos, liberos, divites, pauperes conari pro viribus, atque onera comportare, quibus alimenti plurimum huic incendio dies, noctesque suppeditent: onera sunt non lignorum, non sarmento- *Divit.*

rum, (non enim his rebus constat hæc flamma) sed animorum, corporum, sceleris, improbitatis. His enim excitari solet hujus flammæ natura. Nam, qui divitiis affluunt, nullo modo cupiditatem istam effrænatam sedant, quamvis vel orbem terrarum sibi subjecerint universum. Pauperes verò assequi opulentos, & exæquare conantur; ac rabies quædam dira, effrænatus, ac præceps furor, morbus insanabilis in omnium animis dominatur. Quin etiam alium quemlibet amorem amor hic superat, & expellit ex animo. Non habetur amicitiæ ratio, non affinitatis. Quid dicam amicitiæ, quid affinitatis? non uxoris, non filiorum, quibus quid carius, aut amabilius hominibus contingat? Cuncta jacent humi perculsa, atque prostrata, immani hac, & agresti mancipiorum domina omnium animos occupante. Etenim ut istorum domina quædam inhumana, ut immitis regina, ut barbara quædam, & crudelis, ut vulgare scortum, & profusum, dedecorat, ac prosternit, innumeris periculis, atque suppliciis eos cruciat, qui sibi voluerint inservire, cumque formi-

formidabilis quædam ſit, implacabilis, agreſtis, crudelis, cumque larvam barbaram habeat, vel belluarum potiùs figuram induat, lupo, leoneque immaniorem; mitis tamen, amabilis, ac melle dulcior jis videtur, qui ab ipſa ſunt in ſervitutem redacti, quæ cum gladios, ac tela contra eos quotidie fabricetur, ac fauces, hiatuſque præcipites effodiat, & in loca aſpera, in ſyrtim, in ſcopulos agat; atque deturbet; cum ſexcentos illis paret ſuppliciorum laqueos: beatos tamen eos, ac fortunatos exiſtimatur efficere, tùm ab jis ipſis, qui jam ſunt ipſius ſtudio implicati, tùm ab jis, qui ſe cupiunt implicari. Et quemadmodum, cum in cloaca ſues, cœnoque volutantur, gaudent, & ſcarabei, dum perpetuò ſtercus verſant, oblectantur: ita nimirum ſunt, qui avaritia detinentur, iſtis animantibus miſeriores. Eſt enim in hujuſmodi re major turpitudo, cœnumque putidius. Etenim cum ægritudine, ac perturbatione conflictantur, magnam putant voluptatem ſe inde percipere: quod non rei naturæ, ſed laborantis animi vitium eſt; imò verò id

est illarum animantium stupore deterius. Ut igitur illud non cœno, & fimo est, sed ipsarum bestiolarum stupori tribuendum; ita de hominibus ratiocinare. Verum qui ita sunt affecti, qua eos tandem ratione sanabimus? Si nobis aures nimirum præbere voluerint, mentis aciem intendere, & admittere in animum, quæ dicuntur. Neque enim pecudes ab impura consuetudine licet abducere, cum sint rationis expertes: verum genus hoc cicur, & ratione, atque oratione præditum; (humanam dico naturam) si voluerit, à cœno, à fœditate, à fimo, ab illa turpitudine, facilè, ac nullo negotio poterit revocari. Cur enim tibi, obsecro, videntur expetendæ divitiæ? An omninò ob voluptatem illam, quæ ex mensis, atque epulis capitur? An, ut honori tibi sint, ac satellitum comitatu stipatus incedas, qui te propterea colant, atque observent? An, ut eos faciliùs ulciscaris, qui tibi molestiam exhibent, atque ut sis omnibus metuendus? Neque enim aliam causam afferas, præterquam voluptatis, adulationis, formidinis, ultionis. Non enim sa-

pien-

pientior, non temperantior, non moderatior, non prudentior omninò, divitiis, quiſquam fieri, non vir frugi, non humanus conſuevit: non illæ poſſunt iracundiam coercere faciliùs, non ventris, non gutturis vitia cohibere: non modeſtiam docent, non animi demiſſionem; non partem ullam virtutis in animos inferunt. Neque verò dixeris, quid horum ſit, quod eas tibi reddat amabiles, & expetendas. Nihil enim boni ſolitæ ſunt aut ſerere, aut colere: atque adeo, ſi qua conſita offenderint, corrumpunt, prohibent, labefactant; quædam verò evellunt etiam, inferuntque contraria, immenſam ſcilicet quamdam intemperantiam, excandeſcentiam animi intempeſtivam, iracundiam injuſtam, arrogantiam, ſuperbiam, dementiam. Sed hæc tacebo; neque enim qui hoc morbo conflictantur, de virtute, ac vitio audiant orationem, qua & accuſentur, & arguantur; cum ad unam omnia referant voluptatem, cumque proptereà voluptatis mancipia viliſſima ſint. Age verò jam reliqua, his omiſſis, in medium adducamus, & videamus, an voluptas ulla, vel

honor divitiis contineatur. Cerno enim contraria omnia.

Ac primùm, si placet, divitum mensas, inopumque perpendamus, & convivas percontemur, utri maximè liquidam, ac germanam percipiant voluptatem. An qui, usque ad inclinatum jam in occasum diem, stratis decumbunt, prandia cum cœnis jungunt, ventrem distendunt, sensus hebetant, ingenti epularum pondere navigium obruunt, ac deprimunt, illudque tanquam in naufragio corporis demergunt: compedes, manicas, linguæ impedimenta moliuntur, totumque corpus ebrietatis illo deliciarum vinculo constringunt, catena ferrea graviore? qui non syncerum capiunt, non verum somnum, non horribilibus liberantur somniis, & furentibus miseriores? qui dæmonem ultrò quemdam in animum admittunt, famulorum turbæ risum movent, vel tragœdiam potiùs excitant, lachrymarumque causam modestioribus præbent? qui nihil intelligunt rerum humanarum, non dicere quidpiam valent, non audire, sed raptim in cubile ex mensa feruntur? An vera volupta-

voluptate perfunduntur, qui animo semper excubant, languore omni abjecto, atque desidia, qui modum necessitate metiuntur, secundis ventis utuntur in cursu, cibi, potionisque condimentum, & voluptatem in fame, ac siti sibi maximam ponunt? nihil enim æquè tum voluptati, tum valetudini conducit, atque esurientem, ac sitientem, quæ sint apposita, & parata contingere, satietatem in una necessitate collocare, necessitatis fines non transilire, neque corpori majus onus imponere, quam vires ferant. Quod si hæc minus mea tibi persuadet oratio, utrorumque corpora, & singulorum animos explorato. Neque mihi, quod rarò accidit, ac si qui, altera quapiam de causa, minus valent, adducas; sed ex jis, quæ perpetuò, frequenterque contingunt, subducito rationes. Nonne firma sunt illorum corpora, qui moderatum adhibent cibum, & sensus integri, quique suo facillimè funguntur officio? aliorum verò enervata, languida, cera ipsa molliora, & morborum turba circumsessa? Etenim ad illos podagræ illicò volitant, tremor membrorum in-

tem-

tempestivus, senectus immatura, capitis dolores, nervorum distentiones, ac dissolutiones, stomachi vitia, cibi fastidium; assidua medicorum opera indigent, assiduis medicamentis, quotidiana curatione. Ista ne sunt, obsecro, voluptatis?

Voluptas. Quis hoc tandem dixerit, modò norit, quid sit voluptas? tunc enim oritur voluptas, cum præeunte cupiditate, sequitur illud, ut re concupita fruaris. quod si fruaris, nullo tamen appetitu; voluptas omnis pereat, & evanescat, necesse est. Propterea sanè etiam ægroti quam lautissimos cibos appositos ita degustant, ut nauseare, turbarique videantur; quoniam abest desiderium, quo fit, ut cum jucunditate potiamur. Neque enim cibi, potionisque natura, sed vescentium appetentia cupidatem parere, & voluptatem efficere consuevit. Quocircà vir ille sapiens, qui ea optimè norat, quæ pertinent ad voluptatem, ac de jis præclarè disputare poterat, ajebat: Anima satiata favis illudit. Quibus verbis ostendit, voluptatem non natura mensarum, sed eorum, qui comedunt affectione contineri. Quaprop-

Prov. 2. a Vulgata editio habet: calcabit favum

propter etiam *vates*, cum res illas admirabiles, quæ tum in Ægypto, tum in solitudine contigerant, recenseret, id quoque inter alia commemoravit, videlicet: Ex petra melle saturavit eos. Atqui petram melle manasse nusquam legitur. quid est igitur, quod ait? Nimirum quoniam labore confecti, fessi de via, siti ingenti enecti, aquam gelidam nacti sunt, cum sitim pro magno quodam haberent condimento, cumque aquarum illarum propheta vellet jucunditatem ostendere, mellis nomine aquam vocavit; non quòd esset in mel aquæ natura conversa, sed quòd voluptas aquæ cum dulcedine illa certaret, quodque illi sitientes, aquarum, in quas inciderant, potirentur. Cum igitur ita se res habeat, nec ullus, vel sensus totius expers, quidquam possit objicere; nonne perspicuum est, liquidam, synceram, ingentem ex pauperum mensis manare voluptatem; ex divitum verò epulis fastidium, satietatem, fœditatem: atque adeo (ut sapiens ille vir ait) res etiam jucundas videri fastidiis adhærescere? At enim divitiis efficitur, ut colamur, *Ps.80. d.*

& ini-

& inimicos ulciſcendi facultatem paremus. An propterea quæſo expetendæ nobis, ac certatim conquirendæ divitiæ, quòd graviſſimas in nobis alant perturbationes, quòd iracundiæ facinora proferant, quòd furentis animi fluctus extollant, ad arrogantiam excitent, atque confirment? imò verò propterea ſunt velis, remiſque, ut dicitur, fugiendæ; quia belluas quaſdam immanes, agreſtes, diras in animos noſtros deducunt, quæ vero nos honore diſpoliant, & falſum quemdam veri honoris coloribus adumbrant, illique contrarium effingunt, atque jis proponunt, quos ſemel deceperunt; ut verum eſſe perſuadeant, qui fucatus, & adulterinus eſt honor. Etenim quemadmodum impuræ mulierculæ fucis, & unguentis oblitæ, formoſæ re vera non ſunt: ſed efficiunt, ut aſpectus alioqui deformis, jis pulcher, venuſtuſque videatur, qui fuerint illo decepti: ita divitiæ adulationem ita pingunt, ut honor, ejus videlicet forma ementita, videatur. Neque enim mihi manifeſtas illas acclamationes intuearis, & plauſus, à metu, & aſſentatione profectos,

fectos, hæc enim sunt pigmenta, & fucati medicamenta candoris. Verum retege, atque explica conſcientiam ſingulornm, qui tuam benevolentiam hujuſmodi blanditiis, & aſſentationibus colligunt, atque ſexcentos interiùs accuſatores videbis, qui contra te voce contendunt, quique te magis, quàm graviſſimi inimici, & hoſtes, oderunt, & averſantur. Quod ſi rerum commutatio veritatem, (veluti Sol illos, fucatis coloribus, oblitos vultus) ardentiore aliquo appulſu prodiderit, tum demum apertè perſpicies, maximo te ſemper antea in dedecore, ignominiaque verſatum apud eos, qui te colebant; ac te honorem tibi ab jis deferri putaſſe, qui te maximè oderant, & ſexcentis tacitis conviciis, & contumeliis verberabant, graviſſimaſque tibi calamitates optabant. Nihil enim honorem ſolet ita, ut virtus, efficere, honorem inquam, non coactum, non ſimulatum, non veluti deceptionis perſona contectum; ſed verum, germanum, quique nullis temporum premantur anguſtiis. At ulciſci vis eos, qui graves fuerunt, ac moleſti. Imò

mo verò hoc ipso nomine, ut ante dixi, sunt fugiendæ divitiæ, gladium enim parant, quem ipse distringas: ut in posterum severiùs à te vitæ actæ ratio repetatur, efficiunt; & supplicia intoleranda constituunt. Etenim tantum est ulciscendo flagitium, ut vel Dei clementiam repellat, & veniam delictorum innumerabilium, jam concessam abroget. Is enim, cui innumera talenta fuerant condonata, quique perexigua deprecatione, tanto munere potitus erat; ubi centum denarios à conservo repetiit, hoc est, ubi acceptarum injuriarum pœnas à conservo, tanta acerbitate, cœpit exigere; sua se ipse sententia condemnavit. Neque ob aliam ullam causam tortoribus traditus, atque constrictus est, jussusque infinita illa talenta restituere; nullam veniam impetravit, nullam defensionem, sed extrema supplicia perpeti coactus est, atque omne debitum solvere, quod antea Dei benignitas condonarat. An igitur propterea, quæso te, sunt expetendæ divitiæ, quòd te ita proclivem reddant ad facinus hujusmodi conciscendum? Atqui hoc ipso nomine

ne

ne ab jis, perinde atque ab inimico, & hoste, ac multa inquinatum cæde, refugiendum.

At rerum inopia, dicat quispiam, stomachari nos cogit, & indignari: sæpè etiam maledicta, & verba contumeliosa proferre, ac turpia quæque flagitia committere: Non inopia, sed abjectio animi. Nam Lazarus quoque pauper erat, & sanè valdè pauper, & cum inopia morbus erat, omni gravior egestate, conjunctus, qui paupertatem etiam ejusmodi acerbiorem, molestioremque reddebat. Nemo illi præsto erat, nulli famuli aderant, id, quod inopiam simul, ac morbum exulcerabat. Est enim horum unumquodque per se ipsum calamitosum: jam verò omni famulatu remoto, augetur calamitas, gravius fit ardoris incendium, dolor acerbior, tempestas immanior, turbulentior procella, fornax luculentior. Quod si quis accuratè perpendat; aliud etiam quarto loco accesserat, hominis nimirum, qui omni copia circumflueret, inter vicinos impunitas, atque deliciæ. Quinetiam si quis aliud prætereà vel quinto loco velit invenire, eas quoque in-

Luc. 16.

cendii

cendii faces illi planè fuisse videbit adjectas. neque enim dives ille delicatè duntaxat ipse vivebat, ac molliter; verùm etiam cum ipsum iterum, ac tertio, atque adeo quotidie sæpiùs cerneret; (jacebat enim ante vestibulum projectus, eratque sanè acerbum spectaculum, ac miserandum, quod, vel aspectu ipso, pectus quamvis lapideum emollire potuisset) non tamen agrestis, & inhumanus permotus est unquam, ut tantæ inopiæ subveniret. verùm ei quidem exornabatur amplè, magnificèque triclinium, pocula coronabantur, affatim pretiosa vina propinabantur: splendidos cocorum habebat greges, parasitos, assentatores, primo diluculo concinentium choros, pincernas, mimos, scurras; omnia denique intemperantiæ genera excogitabat, temulentiç, crapulæque deditus, vestitu, mensa, aliisque rebus quamplurimis perpetuò ad delicias abutebatur. Cumque illum acri fame enectum, acerbissimo confectum morbo, tot ulceribus obsessum, destitutum ab omnibus, reliquis præterea calamitatibus, quæ inde proficiscuntur, oppressum, diebus singu-

lis

lis cerneret ; ne animadvertebat quidem . at parasiti, & assentatores vino, ciboque completi disrumpebantur: pauper verò, atque ita pauper, quique tot miseriis conflictaretur, ne micarum quidem ex illa mensa cadentium , quamvis valdè cuperet , potiebatur . Neque tamen illum ex his quidpiam læsit; non acerbius illi verbum excidit, non impium, aut contumeliosum; sed ut aurum , quo ardentiore flamma purgatur , & splendescit illustrius; ita is, cum hujusmodi cruciatibus torqueretur, omnes tamen & perturbationes, & molestiarum turbas illas, quæ inde passim oriri solent , facilè superabat . Si enim , qui una tantùm paupertate laborant, cum divites cernunt, invidentia contabescunt, stomachantur, vitam sibi esse acerbam putant; dum tamen illis necessaria suppetunt, nec famulis carent; cum inops esset iste , & ita inops , ut omnes inopia superaret: nec solùm inops, sed etiam ægrotus, qui haberet neminem, qui præsto esset, qui consolaretur: quique in media urbe, in extrema solitudine jaceret, & acerbissima conficeretur fame , atque alteri , tan-

quam è fontibus, affluere omnia cerneret, nullo ipse ominum solatio frueretur, sed canum linguis, tanquam perpetua mensa, proponeretur; (ita enim erat membris omnibus captus, ac debilis, ut ne illos quidem posset abigere) qua tandem ratione perturbatus esset, nisi animo elato, ac generoso fuisset? Videsne, qui sibi ipse non facit injuriam, quamvis omnium provocetur injuriis, nihil adversi sustinere? Eodem enim revertetur oratio. Quid morbus? quid famulorum inopia? quid canum accessus? quid improba divitis vicinitas? quid illius deliciæ, superbia, arrogantia hunc athletam læsit? An remissiore cursu ad virtutis præmia contendit? Quid verò potuit illius vigorem infringere? nihil usquam; sed illis potiùs corroboratus est, & verò etiam illa rerum adversarum vis, illa divitis hominis feritas, plurimarum fuit ei coronarum causa, præmiorum exaggeratio, mercedis additamentum, majoris remunerationis materia. Neque enim ob inopiam, famen, ulcera, canum linguas, tantùm coronatus est; sed quia, cum ejusmodi vicinum habe-

ret,

ret, ab eoque diebus singulis cerneretur, ac perpetuò despiceretur; tentationem illam magno, excelsoque animo, magnaque constantia pertulit: quæ nimirum tentatio non exiguam, sed maximam flammam paupertati, morbo, solitudini adjiciebat. Quid, oro te, beatus Paulus? Nihil enim nos impedit, quominus faciamus iterum tanti viri mentionem. Nonne sexcentas tempestates, ac procellas tentationum subjecit? quam propterea jacturam fecit? Nonne inde potiùs majus sibi præmiorum cumulum auxit, quòd famem pertulit, quòd frigore, & nuditate obriguit, quòd virgis est sæpenumerò cæsus, quòd lapidibus obrutus; quòd pelago demersus?

Verum ille, dicat quispiam, erat Paulus, & à Christo vocatus. Atqui Judas quoque in duodecim discipulorum numero fuit. Nec tamen illi profuit, quòd inter duodecim numeraretur, non quòd esset à Christo vocatus; quoniam animo, & consilio ad virtutem idoneus, paratusque non fuit. At Paulus quando cum fame decertabat, & necessario egebat cibo, atque tot, ac tanta quo-

tidie

tidie mala perferebat; via, quæ rectà ducit in cœlum, magna alacritate currebat. Ille verò, cum & ante Paulum esset vocatus, & jisdem beneficiis, quibus Paulus, affectus; cum esset supremæ illius philosophiæ mysteriis initiatus, mensæque sacræ, ac sacrosanctæ illius cœnæ particeps effectus; cum tantum beneficium accepisset, ut & mortuos posset excitare, leprosos curare, dæmones profligare? cum sæpè Christum audisset de voluntaria paupertate differentem, ac tamdiù esset familiariter cum illo versatus; cum pauperum pecunias sibi creditas accepisset, ut inde sui morbi solatium caperet; (fur enim erat) non tamen potuit ad meliorem frugem revocari, quamvis tantam in se benignitatem expertus, atque clementiam. Nam quoniam illius Christus avaritiam noverat, eumque propter amorem pecuniæ periturum: non modò tunc pœnas ab illo non sumpsit; verùm, ut illius etiam ægritudinem mitigaret, pauperum quoque pecunias ipsius fidei commisit, ut esset, unde pecuniarum cupiditatem expleret, neque in horrendum illud barathrum præcipita-

cipitaret; atque ita leviori malo, majus, graviusque prohiberet. Ita ubique, qui sibi ipse non facit injuriam, ab alio illatam non accipiet: qui verò excubare animo, & interiora animi bona ultrò adhibere noluerit, ei nemo unquam ulla re proderit. En tibi proptereà mirabilis voluminum sacrorum historia, tanquam in imagine quadam excelsa, & ampla, latèque patente, priscorum virorum facta describit, ab Adamo usque ad Christi adventum narratione producta; tibique illos, qui supplantati sint, quique coronis donati, proponit, ut te, omnium exemplo, doceat, qui in se ipse non sit injuriosus, nullius injuria posse violari: quamvis grave bellum ipsi totus terrarum orbis indicat. Non enim rerum difficultas, non temporum vicissitudines, non principum importunitas, non insidiarum procellæ, non vis calamitatum, non ex malis omnibus conflata colluvio, vel tantulum quidem loco eum movere poterit, qui animo forti, magnoque sit, qui vigilet, qui animo semper excubet: ut contra ignavum hominem, ac meticulosum, quique se ip-

ſe prodat, vel ſexcentæ adhibitæ cautiones, nihilo tamen faciunt meliorem. Ergò id illa nobis ſimilitudo declarat, de jis hominibus, quorum alter in petra, alter in arena domum ſuam ædificarat; non ut petram nos, & arenam cogitemus, non ut ſaxorum ædificium, & culmen, non ut fulmina, aquas, pluvias, ventoſque vehementes, qui in ædificia impetum faciant, ſed ut virtutem, & vitia ex jis intelligamus; atque adeo vel hinc doceamur, qui ſibi ipſe non facit injuriam, à nemine lædi poſſe. Quare non imber, quamvis violentus, ac vehemens, non fluvii, qui concitato curſu laberentur, non venti, qui impetu ſummo ferrentur, domum illam ulla ex parte labefactarunt; ſed integra perſtitit, & immota, ut intelligas, qui ſe ipſe non prodat, nulla poſſe oppugnatione convelli. At alterius domus eſt facilè dejecta, non tentationum inſidiis, (alioquin idem alteri quoque contigiſſet) ſed ſua profectò dementia. Neque enim quia ventus flavit, propterea corruit; ſed quia erat in arena, hoc eſt in otio, & improbitate fundata, id illi jure op-

Matt. 7. *d*
Luc. 6. *c*

timo

timo contigit: nam etiam antequam illa tempestas ingrueret, & infirma erat, & ad ruinam proclivis: hujusmodi enim ædificia, etiam nulla re urgente, sua sponte decidunt, cum fundamentum illis desit, ac diffluat. Et quemadmodum araneorum telæ, etiam nullo disturbante, dissolvuntur, adamas verò vel malleo percussus resistit; ita sanè illi, qui se ipsi non lædunt, quamvis à sexcentis cædantur, firmiores redduntur: qui verò manus dant, etiam si negotium facessat nemo, ultrò tamen ad terram feruntur, dilabuntur, pereunt; non secùs ac Judas quoque, qui non modò, dum nulla re hujusmodi molesta tentaretur, sed etiam cum maximè coleretur, ac mulceretur, interiit.

Vis ne, ut hanc tibi orationem populorum quoque ipsorum exemplis illustrem? Quanta fuit erga Judæorum populum divinæ providentiæ cura? Nonne res creatæ omnes, quæ sub aspectum cadunt, ut eis ministrarent, comparatæ sunt? Nonne nova quædam jis, & admirabilis victus ratio suppeditata? Neque enim in forum ventitantes, re-

bus venalibus fruebantur, non argentum deponebant, non sulcos agebant, non aratrum trahebant, non terram proscindebant, non sementem faciebant; non pluvias, non ventos, non anni tempora, non Solis radios, non Lunæ cursum, non aeris naturam, non aliud hujusmodi quidpiam desiderabant: non aream parabant, non fruges terebant, non ventulis opes erat ad triticum à paleis segregandum, non molam versabant, non furnum ædificabant; non ligna, non ignem domi adhibebant, non arte pistoria egebant; non ligonem tractabant, non acuebant falcem; non ullius denique artis, textrinę videlicet, sutoriæ, frabrilis indigebant; sed illis Dei verbum erat instar omnium. Mensam habe-
Exo. 16. d bant semper paratam, laboris, ac sudoris expertem: ea enim erat mannæ natura, cibi quotidie recentis, quę eis neque laborem usquam, ne-
Deut. 8. b & 29. a que molestiam exiberet. Jam verò vestes illis, & calcei, ipsaque corporis natura suæ videbatur infirmitatis oblita. Tanto enim spatio temporis neque indumenta, vel calceamenta sunt attrita; neque eorum pedes

des tam longo itinere callum obduxerunt. Medicorum inter illos, medicinæ, & cujusvis in hujusmodi arte studii ne mentio quidem inter eos ulla fiebat: ita erat omnis morbus explosus. Eduxit enim, inquit, eos cum argento, & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus. Verùm non secùs, ac si ex hoc mundo in alium longè meliorem commigrassent; ita cibo utebantur, & potu. Neque ardentior Solis radius illorum capita feriebat. etenim extensa undique nubes, tecti cujusdam instar, universum populum protegebat, & cum illo, quocumque pergeret, ferebatur. Quin etiam neque facibus noctu opus erat, quibus tenebræ pellerentur; sed ignea utebantur columna, unde lux effulgebat immensa, quæ simul eos dirigeret, & illustraret. Neque enim lucida solùm erat, verùm etiam quovis duce meliùs multitudinem propè innumerabilem per illam solitudinem deducebat. Neque verò in terris tantùm, sed in mari quoque, tanquam in terris, iter agebant; & superare naturæ fines audebant, cum sævum illud pelagus ita calcarent, ut si in dura aliqua, solidaque petra graderentur.

Ps.104 d

Exo. 14.

rentur. Dum mare ipsos exciperet, solidam terram, & camporum planiciem Elementum illud imitabatur: at ubi hostes admittebat, maris officio fungebatur; illis erat pro vehiculo, ipsorum hostibus pro sepulcro; dum illos facilè trajiciebat, hos vehementi impetu demergebat. Itaque aquarum inconditi fluctus quasi ratione, & intelligentia præditi, moderationem, & obedientiam præstiterunt; qui modò custodis; modò carnificis partes, ac munus explerent; atque uno, eodemque die contraria simul munia exequerentur. Quid commemorem petras, è quibus aquarum flumina manarunt? quid narrem avium turmas, quarum est ingenti multitudine terra contecta? Quid ea persequar, quæ in Ægypto admiranda contigerunt? quid ea, quæ in solitudine, supra hominum fidem? quid trophæa quid victorias, non profuso sanguine, illis partas? Non enim, ut pugnantes, sed ut choreas agentes, adversarios invadebant, & sine armis suos dominos superabant: eos verò, qui secum extra Ægyptum decertarunt, tubarum sono canentes vicerunt; ut chorus ille potiùs, quàm bel-

Exo. 16. c

Exo. 5. 6. 7. &c. Num. 12.

Iof. 6. a b

bellum, sacrorum initia, quàm pugna videretur. Omnia enim illa portenta acciderant, non modò ut illis omnia suppeterent, quibus indigebant; verùm etiam, ut ita meliùs, & commodiùs ea conservarentur, quæ illis Moses de divinarum rerum cognitione tradiderat. Quin etiam vocibus undique omnia personabant, quæ Dominum prædicabant. Etenim id mare clamabat, cum se modò pedibus calcandum præberet, modò rursùs maris naturam indueret. Nili fluenta hanc ipsam vocem edebant, cum in sanguinis naturam verterentur: ranæ, & illi locustarum greges, brucus, ærugo hæc præconia universo populo prædicabant. Solitudinis verò prodigia, manna, columna, nubes, coturnix, cætera omnia, liber illis erant, ac literæ, quæ nullo unquam tempore delerentur. Hæc illis quotidie rerum memoriam renovabant, eorumque mentem, quasi vocibus, informabant. Verumtamen post hujusmodi paternæ in eos providentiæ argumenta, post ingentia illa beneficia, post rerum mirabilium magnitudinem, post illam procurationem,

studiumque inexplicabile, post assiduam illam doctrinam, post institutionem illam, & cohortationem tum verbis, tum rebus adhibitam, post illustres, insignesque victorias, post inaudita, & incredibilia trophæa, post epularum copiam, post illorum fontium ubertatem, post illam gloriam, qua cunctis gentibus antecellebant; quoniam ingrati, ac stolidi esse cœperunt; vitulum coluerunt, bovisque capiti divinos ritus, ac ceremonias adhibuerunt, ut sibi dii fierent, postularunt: idque recentibus adhuc acceptis in Ægypto beneficiis, cumque novis aliis multis prætereà fruerentur.

Ninivitæ. Ion. 3. At Ninivitarum populus, licet barbarus, & qui nullius harum rerum, non parvæ, non magnæ, non miraculorum, non factorum, non verborum particeps fuerat; ubi viderunt hominem ex naufragio conservatum, qui nunquam esset cum eis ante versatus, qui tum primum visus esset, & ingressus diceret: Adhuc tres dies, & Ninive subvertetur; ita, nudis hisce verbis auditis, commutati sunt, & meliores effecti, ita improbitate abjecta, ad virtutem

Vulg. habet: Quadraginta dies, &

se

se per pœnitentiam receperunt, ut divinam sententiam revocarint, labantem urbem confirmarint, Deum iratum placarint, ab omni se scelere vindicarint. Vidit enim, inquit, Deus cunctos à via sua mala recessisse, seque ad Dominum convertisse. Quinam, obsecro, recessere? Atqui magna erat eorum improbitas, nequitia inexplicabilis, insanabiles plagæ. Idque vates ut ostenderet, ait: Ascendit eorum malitia usque ad cœlum, ut loci intervallo, illorum nequitiæ magnitudinem declararet. Verumtamen tantam improbitatem, quæ adeo creverat, ut ad cœlum usque pervenire videretur, tribus diebus, exiguo temporis momento, paucis unius hominis, ignoti, peregrini, naufragi verbis, ita est expiata, deleta, profligata, ut ejusmodi voce perfruerentur, videlicet: Vidit Deus unumquemque recessisse à via sua mala, & pœnituit illum supplicii, quo eos affecturum se esse confirmarat. Vides eum, qui excubet, & attendat, non solùm nulla re lædi ab hominibus posse, verùm etiam iram cœlitùs imminentem vitare? qui verò spontè det ma-

Ion. 3. c. Vulg. Et vidit Deus opus eorum; quia conversi sunt de via sua mala Io. 3. c

Ion. 3. c. Vulg. Et misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis.

nus, ac sibi ipse noceat, etiam si innumeris beneficiis cumuletur, nullam ei magni quæstus fieri accessionem? Ergò neque illis tot prodigia profuerunt, neque his ipsis prodigiorum non fuisse participes obfuit. Sed quoniam erant sua sponte memores beneficiorum, vel exiguam occasionem nacti, redierunt in viam, cum tamen essent barbari, externi, quibus divina essent oracula inaudita, qui terras à Palæstina longiùs remotas, ut opinor, incolerent.

Quid verò trium puerorum virtuti, obsecro, quæ ipsis acciderunt adversa, detraxerunt? Nonne ahhuc adolescentes, ac pœnè pueri, in ipsa ætatis imbecillitate, illud grave supplicium, servitutemque subjerunt, longam peregrinationem confecerunt, procul à patria, domo, templo, altari, Sacrificiis, oblationibus, libationibus, & verò etiam ab ipsis canticis, sunt in alienas terras abducti? Neque enim iis domum remeandi tantummodò potestas erepta, sed multa etiam religionis, Sacrorumque genera, quæ domo adduxerant, interdicta. Nonne barbaricis manibus, ac lupis potiùs, quàm homi-

mi-

minibus traditi, atque in longinquam, præterea, (id, quod gravissimum est) ac barbaram regionem, & in acerbissimam traducti servitutem? Non doctorem habebant, non vatem, non magistratum. Non enim est, inquit, Princeps, non Propheta, non dux; neque locus Sacrificandi coram te, & misericordiam inveniendi. Quin etiam in regias sedes, quasi in scopulum quemdam, syrtim, pelagus, saxis, & cautibus plenum adducti sunt, sine gubernatore, sine proreta, sine nautis, sine velis; cum infestum illud mare trajicere cogerentur, & regiis conclavibus, tanquam carcere, inclusi tenerentur. Nam quoniam cœlestem quamdam noverant exercere Philosophiam, res humanas, fragilesque contemnere, fastum omnem, atque superbiam proculcare, ac velut alis quibusdam extolli; ex illa commoratione magnum cumulum putabant ad suas calamitates accedere. Etenim procul à regia, in privato aliquo domicilio, majorem fuissent habituri, arbitratu suo, vivendi potestatem. At in carcerem illum conjecti, (nam totam illam veluti commentitiam

Dan. I. b

gloriam nihil arbitrabantur à carcere, nihil à ſyrtibus, ſcopuliſve differre) ærumnas continuò graves, acerbaſque ſubjerunt. Imperaverat enim Rex, ut ſuæ illius menſæ ſybariticæ, impuræ, profanæ participes eſſent: at id erat illis interdictum, ac propterea morte ipſa gravius videbatur: ſolique veluti agni inter lupos coercebantur. Quin etiam aut fame confici, vel potiùs morte mulctari neceſſe erat, aut interdictis cibis omninò veſcendum. Quid igitur agunt adoleſcentes, orbati parentibus, captivi, extorres, eorum denique ſervi, qui res hujuſmodi imperabant? Non ſibi neceſſitatem, non illius regnum, qui urbi præeſſet, ad excuſationem ſatis poſſe crediderunt. Verùm omnes adhibent machinas, omnia tentant, ut peccatum vitent, cum tamen undique circumſepti, ac proditi teneantur. Non enim poterant imperantium ferocitatem lenire pecunia, quippe captivi; non amicitia, & familiaritate, peregrini; non imperio ſuperare, mancipia; non multitudine vincere, nimirum non plures tribus. Quare eunuchum, cujus erant poteſtati commiſſi

missi, conveniunt, ac verbis persuadent. Ubi enim formidantem illum, ac verentem offenderunt, atque de sua salute solicitum, cui mortis ingens timor proponebatur, qui ejus animum percellebat: Timeo enim, inquit, ego dominum meum Regem, ne videat facies vestras tristores cæteris adolescentibus coævis vestris, & condemnetis caput meum regi. At illi hominem metu liberant, ac beneficium impetrant. Quare, cum omnia pro virili parte ipsi fecissent, Deus quoque, quod suum est, in eos contulit. Neque enim Dei duntaxat illud officium erat; sed ab eorum voluntate sumpsit exordium; (quod enim illi essent alioqui præmium consequuturi?) quam cum generosam, fortemque præbuissent, & Dei opem impetrarunt, & quod contendebant, facilè perfecerunt.

Vides ne, qui se ipse non lædit, ab alio lædi non posse? En tibi igitur adolescentes captivi, orbati parentibus, in alienas terras abducti, omnium ope destituti, gravi edicto, & acerbo urgente, eunuchi animo, magno mortis metu, perculso, inopes

pes, pauci, inter barbaros, in hoſtium dominatu, in regiæ manus poteſtate, à ſuis omnibus divulſi, à Sacerdotibus, Prophetis, ab aliis, à quibus juvarentur, quam remotiſſimi, nullis libationibus, ſacrificiis nullis, Procul à templo, Procul à Canticis, atque Pſalmodia: neque tamen in hujuſmodi rerum ulla, ullum incommodum acceperunt; ſed contra potiùs, majorem tum gloriam adepti, quam cum rebus illis domi ſuæ, atque in patria potirentur. Atque ita in primo hoc certamine, re benè geſta, illuſtri corona revincti, legibus patriis etiam in aliena regione ſervatis, tyranni edicto contempto, metu hominis impii ſuperato, nulla tamen uſquam facta jactura; atque perinde, ac domi ſuæ verſarentur, omniumque illarum rerum copia circumfluerent, ita præclaro facinore tutè, liberèque perfecto, deinceps ad novos provocantur labores: iidem tamen ſunt, qui ſemper fuerant, ſuique ſimillimi. Difficilius priore proponitur, graviuſque certamen: accenditur fornax, barbarorum acies cum ipſo rege contra illos inſtruitur: omnes Perſarum vi-

res expediuntur: omnia ad fraudem, & vim faciendam comparantur: musicæ varia genera, variæ suppliciorum rationes, minæ, conspectus undique truculentus, verba formidabiliora conspectu. Verumtamen quoniam ipsi se non prodiderunt, sed pro viribus contenderunt, nihil illos unquam læsit; sed coronas prioribus digniores, illustrioresque promerentur. Vinxit enim Nabuchodonosor illos quidem, & in fornacem conjecit, nec tamen læsit, sed juvit, ac reddidit clariores. Cumque templo carerent, (eadem enim sæpiùs recensebo) patria, Sacerdotibus, vatibus, in externis, & barbaris locis, imò verò in ipsa fornace media, in illius exercitus universi conspectu, rege, quo hæc auctore fiebant, inspectante; præclarum trophæum constituerunt, insignemque sibi victoriam pepererunt, carmen illud admirabile concinentes, quod jam inde ad hanc ætatem toto terrarum orbe decantatur, & à posteris quoque in omnes ætates decantabitur. Quamobrem, quando, qui ipse sibi non nocet; nihil ei ab ullo noceri poterit. Neque enim ab hu-

jus verbi assidua iteratione desistam. Nam si captivitas, servitus, solitudo, exilium, charorum omnium absentia, mors proposita, tantus exercitus, tam crudelis tyrannus, tribus pueris, captivis, servis, peregrinis nihil obesse potuerunt ad eorum virtutem labefactandam; sed illos potiùs insidiæ confirmarunt, illisque libertatem auxerunt; quid tandem offendere poterit vigilantem? nihil omninò; quamvis terrarum orbis in eum conspiret universus. At enim Deus tunc illis adfuit, & flammas subduxit. Imò verò tibi quoque, si contendas pro viribus, à Deo, quæ sunt opus, expectare omnia licebit. Verumtamen pueros illos ego non propterea suspicio, beatosque prædico, quòd flammas calcarint, quòd ignis vim fregerint; sed quòd veritatis, religionisque causa vincti, & in fornacem injecti, flammisque traditi sunt. Hinc enim illis omnia sunt constituta trophæa, & quo tempore in fornacem demittebantur, corona illis imponebatur; atque adeo post verba illa, etiam ante rerum ipsarum exitum, contexi cœpta est; quæ nimirum verba magna liberta-
te

te in medium producti, pronuntiarunt. Nihil est, quod tibi Rex, hac de re nos respondeamus. Potest enim Deus noster, qui est in cœlo, quem colimus, ex ardenti fornace liberare. Quin etiam ille nos è tuis manibus eripiet: sin minus; scito, Rex, deos à nobis tuos non coli, neque imaginem auream adorari, quam statuisti. Propter hæc verba illos laudibus prosequor: propter hæc verba, arrepto victoriæ præmio, ad insignem martyrii coronam cucurrerunt, verborum confessioni, rerum ipsarum, factorumque comprobationem adjungentes. Quod si eorum corpora veritus est ignis attingere, vincula dissolvit, potestatem liberè ambulandi dedit, suarum virium oblitus; atque adeo fornax ignis aquarum gelidarum induit naturam: hoc videlicet admirandum fuit divinæ benevolentiæ munus. Athletæ quidem certè, vel antequam hæc illis acciderent, statim ut in flammas ingressi sunt trophæum posuerunt, victoriam reportarunt, corona donati sunt, ac tum in cœlo, tum in terris sunt laudes amplissimas consequuti: neque jis quidquam de-

defuit ad ſummam gloriam cumulandam.

Quid igitur ad iſta dicas? In exilium pulſus es, & è patria ejectus? iſti quoque. In ſervitutem adductus, & barbarorum vinculis obſtrictus? hoc ipſum quoque his accidiſſe comperies. At neminem habes ibi præſentem, qui rebus tuis conſulat, qui te moneat, qui erudiat; illi quoque hujuſmodi procuratione caruerunt. At es religatus? at combuſtus? at mortuus? nihil enim his mihi gravius objeceris. En illi quoque cuncta hæc incommoda perpeſſi, majorem ſibi gloriam ex his omnibus pepererunt, ac longè clariores, & celebriores effecti, majores in cœlo ſibi divitias congeſſerunt. Ac Judæi quidem, quibus erat templum, erat altare, erat arca, propitiatorium, velum, & infinita ſacerdotum multitudo, quotidianę cerimonię, ritus, ſacrificia, tum matutina, tum verſpertina; cum eos prętereà audirent, qui & vivorum, & mortuorum vatum ſcripta aſſiduè recitarent, quibus eorum aures perſonabnat; cumque rerum mirabilium apud eos vigeret memoria, quæ tum in Ægypto, tum in ſolitudine, tum

aliis

aliis temporibus contigissent. eaque perpetuò & manibus tererent, & in ædium haberent postibus inscripta: cumque hisce rebus admirandis, aliisque beneficentiæ divinæ muneribus fruerentur; non modò nihil utilitatis perceperunt, verùm etiam in deteriora prolapsi sunt; ut in templo ipso statuas collocarent, filios sub arboribus, filiasque mactarent, in omnibus ferè Palæstinæ locis, iniqua illa, & execranda facerent sacrificia; alia sexcenta immaniora scelera perpetrarent. Illi verò cum in media barbarorum regione, adversa, hostili, in domo regia tyranni versarentur, omni illa procuratione spoliati abducerentur, comburerentur; non modò nullam omninò jacturam fecerunt, sed majorem inde gloriam sunt adepti. Quæ cum ita esse intelligamus, & alia horum simillima è Sacrosanctis, Divinisque voluminibus colligamus: (licet enim in aliis quoque personis hujusmodi plurima documenta reperire) non in temporum, vel rerum difficultate, necessitate, vi, eorumque tyrannide, qui potiantur rerum, idoneam nobis esse posi-

positam excusationem putemus, si quando peccemus. Unde enim exordium duxi, in eodem quoque perorabo. Si cui quid fuerit detrimento, vel injuriæ, intrinsecùs id à se ipsi penitùs accidit, non aliunde; quamvis innumerabiles illi sint, qui eum lædere, ac violare conentur. Quod si hoc à se ipsi homini minus acciderit, etiamsi quicumque terras omnes, ac maria incolunt, uno omnium consensu, una in eum conspiratione irruerint, ne minimo quidem damno hunc afficere possint, qui sit sobrius animo, atque in domino vigilet. Vigilemus igitur, oro, & perpetuò excubemus, & adversas res omnes, animo forti, magnoque perferamus; ut sempiterna illa, & immortalia bona consequamur in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria, & imperium nunc, & in omnem æternitatem. Amen.





SANCTI PATRIS NOSTRI

IOANNIS CHRYSOSTOMI

In Sanctos duodecim Apostolos

ORATIO.

Pomponio Brunello interprete.

DUm Spiritus Sanctus advenit, meritò etiam hodierna die, hæc piscantium sagena completur: dum ipsi nos ultrò in illam rationis compotes pisces insilimus. Nam Verbi verbum cum illiteratos sapientia informaret, linguisque igneis eorum ora, qui tardè loquerentur, aperiret; ad rem diviniorem illorum opificium tradu-

Luc. 5. b *Act. 2. a*

xit

xit his verbis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Dixit: Venite post me; & omnia repentè sunt in melius commutata. Duodecim erant athletæ selecti, & ex his nemo prorsùs fuit expers coronæ. Etenim unum simul omnibus beneficium datum est, & singulorum victoriam reddidit clariorem. Unus infelix Judas ab hujusmodi se anchora divellit, cum ovem lupis osculo indicavit, ac dominum triginta nummis argenteis venundedit, cujus divenditi sanguis mundum redemit. Verùm ò beatam, Apostoli, vestram, illustremque societatem! Quia omnibus omnia per gratiam facti estis, qui hominum greges non arundineo estis baculo, sed verbo, scitè venati. Vos enim immutabiles estis rectæ doctrinæ columnæ, Ecclesiæ petra, & hujus gregis potissimùm vigiles præsules, ægræ humanitatis non mercenarii medici, nostræque indulgentię apud Deum indulgentes fidejussores. Etenim tanquam incudes quædam animatæ cum sitis, dum cædimini, eos, qui vos cædunt, ad cognitionem instituitis. Hinc Petrus urbis Romæ doctor extitit; hinc Euange-

Matt. 4. c

lio

lio Paulus orbem terrarum confirmat; Andreas dirigit Græciæ ſapientes; Simon barbaris Deum demonſtrat; baptiſmo Thomas albos reddit Æthiopes; Judæa Jacobi cathedram colit; Marci ſolium, quæ ad Nilum eſt, Alexandria veneratur: Lucas, & Matthęus Euangelia ſcribunt, Joannes, qui adhuc facit verba de Deo, & poſt exitum vitæ, tanquam vivus Epheſum curat; Bartholomæus ſapientia vera imbutus Licaones inſtituit; Philippus admiranda patrans Hierapoli ſalutem affert: univerſi in univerſos ubique conferre beneficia non deſiſtunt. Immortalem in ſepulchris pulverem reliquerunt, qui hoc tempore nos tuentur, ſed paulo poſt orbis terrarum judices futuri. Ad hunc pedibus captus accedebat; pedes rectos, ac firmos, diſſoluto vitio, referebat. In illum incidens paralyticus, lectum geſtare jubebatur. Alius mortuos evocabat; illi ſtatim dicto audientes erant. Hujus vel umbra ipſa morbos pulſabat: illius nomen imploratum dæmones perhorreſcebant. Aliorum ſudaria morborum curationem diſtillabant. Quippe qui fuerant illius diſcipuli, cujus ſimbria

Matt. 9. c

fimbria clandestino mulieris tactu, quæ sanguinis fluxu laborabat, rubeum illud sanguinis mare siccavit. Verùm ut ad Apostolorum principes revertatur oratio, illius propheticæ
Ps.132. vocis in momoriam redeo: Ecce
a quàm bonum, & quàm jucundum, habitare fratres in unum. Quare orationis dux Petrus esto, quoniam primus est in Domini vineam mercede conductus. Petrus, ovis è præclari pastoris grege primogenita: Petrus, qui è lacu ascendit in cœlum; qui nautis dimissis, angelorum consuetudine dignus est habitus: qui, navicula relicta, ecclesiæ gubernacula regenda suscepit: qui cœlorum claviger est apellatus, quique recepit in terris vinciendi, solvendique potestatem: qui ad vocationem celer, ad fidem dubitationis expers; atque in rebus omnibus magistri sui defensor ardentissimus fuit, cum diceret: Tu es Christus filius Dei vivi: qui sibi moriendum esse cum domino statuit, in aulam Caiphæ cum redemptore vincto simul ingreditur: qui cum inficiatur, venia dignus est, cum resipiscit, admiratione. Neque enim tam dedecore di-

dignus, negando: quam laude, resipiscendo. Nobis enim etiam profuit, quia crimen celeri lachrymarum obruit profusione; & ad exiguum tempus agitatus, in omnem æternitatem fidelium repertus est fundamentum. Nam si diligentiùs, charissime, occasionem illam timoris attendas; non sanè magnoperè Petrus accusandus esse videatur. Nam quo tempore Sol ipse fugiebat, cœlum latebras quærebat, concutiebatur terra, petræ scindebantur; quippe quæ creatoris injuriam ferre non possent: tum Petrus defecit, tum Christum negavit primus, statimque diei nuncium, rationis expertem, nactus est accusatorem, qui eum negationis admoneret, quæ fuerat ante prędicta. Antequam gallus cantet, ter me negabis. Verùm qui primus negaverat, ad sepulcrum cucurrit primus. Illum, qui à mortuis vivus in lucem prodierat, per quem vita redditur mortuis, primus vidit; cum ex Maria cognovisset arcanum, quod illi ipsi supra lapidem considens Angelus non commiserat. Jam verò secundum illum prodeat in medium Paulus, sapientissimus orbis terrarum

Matt. 26. g
Luc. 22. f
Joa. 18. c
Ioan. 20. a

orator, qui agnus è lupo, è spinis racemus, è zizaniis frumentum, amicus ex hoste, Hebræus permanet ex Hebræis: qui apud illos Saulus
Act. 9. a minas, cædemque spirabat; apud nos verò Paulus, Jesu Christi vocatus Apostolus: qui ex blasphemo Theologus, ex persecutore Evangelista: qui ex pyrata gubernator, ex proditore miles: qui Romam cum Petro sepulturam sortitus est. cumque illo & hanc despexit, & Sichem: qui secundum Beniamin frater Josephi, & secundum Theclam, & filiorum pater, & magister fuit: apud Damascum cæcus, in singulis urbibus oculus prædicationis; è cœlo vocatus, idemque raptus in cœlum: Qui Paradisum vidit, priusquam illuc veniret; atque victoriæ coronam, dum adhuc luctaretur, accepit; quæ iterùm, ut ait, ipsi debetur. Quid enim ait? Quam reddet mihi Do-
2. Tim. 4. b minus in illa die. Paulus è novissimis primus, ex abortivo partu perfectus vir: dum insequitur, jucundus; dum persecutiones patitur, dulcis: Romanus, & Pharisæus; qui omnibus, fidei beneficio, omnia factus est. Nam Christus, qui dixit Petro:

Petro: Te pati oportet; dixit etiam de Paulo, quæ illum pro ejus nomine pati oporteret, ut alter affixus cruci, alter capite obtruncatus, unam fidem suo præconio promulgantes, uno cursu perfecto, veri testes forent ejus, qui passus esset, qui sepultus, qui, ut viderat, in vitam rediisset, atque in patris sinum se contulisset; quem tamen nunquam ante reliquerat. Illos Dominus Prophetæ verbis alloquitur: Circumdate novam hanc Sion, complectimini eam · hoc est, custodite, tuemini, precibus munite; ut quando irascar in tempore, & concutiam orbem terræ, aspiciens vestrum sepulchrum, æterna memoria dignum, & quas ultrò propter me cicatrices geritis; iram indulgentia superem, vestram deprecationem, quæ illa nititur, legationemque suscipiam. Etenim sacerdotium, ac regnum cum video collachrymari, illicò miseratione permotus flector, ac vocem illam meam in memoriam revoco: Protegam urbem hanc propter David servum meum, & Aaron sanctum meum · Quicumque scilicet, ut vos, fidei consensione, dignitatis gradus, ho-

Ps. 47. b

4. Reg. 19. f

noresque, sponte suscepta demissione, tegentes, animique abjectionem veste significantes, multa mihi discipulorum millia junxerint, qui me ferant; quique à me orbi terrarum misericordiam flagitent. Dixi enim: petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis. Ipsi gloria, & imperium nunc, & semper in sæcula sæculorum. Amen.

Matt. 7. b



SAN-



SANCTI PATRIS NOSTRI IOANNIS CHRYSOSTOMI,

In Domini Dei Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti ad inferos deſcenſum, & in latronem ORATIO.

Pomponio Brunello interprete.



Res novas, & admirabiles! Latro cum Chriſto, cum diabolo diſcipulus Judas. Lux eſt in tenebras converſa, tenebræ ſunt in lucem commutatæ; agnus lupus, & lupus agnus: latro, dum clavis affixis manibus penderet, Do-

Lu. 23. minum salutabat, cum, voce fidei
f plena, diceret: Memento mei Domine in regno tuo. Discipulus labiis oscula defert, animo crucem parat: labiis salvere jubet, animo dolum eructat, dicens: Ave Rabbi. Deinde illum etiam osculatur; & conversus, Judæis dicit nutu, non verbo: Vincite, abducite. O scelesteJuda, qui abduci imperas illum, qui dixit: Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. At vestrum video studium alacrius ad audiendum, & os mihi concludi, & sanè dicendi finem facere velim; sed quoniam attentio vestra me hortatur, ut orationem producam ad reliqua persequenda revertamur. Ave, inquit, Rabbi: At benignissimus Dominus proditoris nequitiam tolerantia superans, præclarè dixit: Amice, quorsum ades? Complector te Juda, non ut Charitatem tribuam, quam abjecisti, sed ut exhauriam gratiam, quam tibi tribueram. Vas enim indignum cœleste mysterium gestare non potest. Quid dicam de Juda? Petrus, qui claves regni acceperat, cum gloriæ Regem in crucem actum videret,

Vulg. dũ veneris in regnũ tuum.

Isa. 66. e

deret, abjectis clavibus, se conjecit in fugam. At latro Cœlorum januas reserans, claves ipse rapuit Paradisi. Petrus, qui dicebat: Etiam si oportuerit me commori tecum, non te negabo; tertium abnegavit: Latro, qui, non promiserat verbo, re ipsa moriens una cum vitæ, resurrectionis auctore: Memento, inquit, mei Domine in regno tuo. Latro magistratus, & principes non veritus est. Petrus minas puellæ non tulit. Latro clamavit: Memento mei Domine: at Petrus: Nescio hominem hunc, quem paulo ante Dei filium vocarat. Petrus, qui paulo ante in mare intulerat pedem, negavit illum, qui naturam humidam ingressus erat. At latro, qui non in dorso maris, sed divitum januis ambularat, clamabat: Domine. Quin etiam Zebedæi filii, qui dicebant: Possumus bibere calicem, quem biturus es; (hic enim erat calix salutaris in tempore) fugerunt. At Latro è manu Zebedæi salutaris calicem arripuit, dicens: Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Thomas mysterii, quod comprehendi non potest, curiosus

Matt. 14. de

Matt. 20. c

Ps. 115. a

Joa. 11. b investigator, condiscipulis dicebat: Eamus & nos, ut moriamur cum eo: affixum cruci conspicatus, au- vulg. & fugit. In crucem sublatum aspicit, & fugit; resurgentem cernit, ac Joa. 20. dubitat, dicens: Nisi mittam digitum meum in locum clavorum, & manum meam in latus ejus; non credam. Verùm benignus Deus, qui ob unam ovem descenderat, ovem unam non est aspernatus; sed illam in humeros tollit, atque ait: infer digitum tuum in latus meum: lanceam sustinui militarem, manum Apostolicam non feram? Verùm ò rerum præclarissimarum latro, (nam ad te mea se convertit oratio) qua tandem ratione ad rapiendum eruditus es, & institutus? Discipulus non fuisti; quomodo opificem imploras dicens: Memento mei Domine in regno tuo? præclarè locutus es, piè credidisti. Prædatus es periculosè persæpè, divitum sæpè thesauros reserasti; ejusmodi margaritam, qualem Christum non reperisti. Apostolus non fuisti; non Deut. 28. g audisti legislatorem dicentem: Videbitis vitam vestram appensam; Vitam verò pendentem è ligno vindemi-

demiasti . Non Isaiam audisti pronuntiantem : Livoribus perpessionis ipsius , hominum morbi curantur . Quo tandem modo medicinam doloribus invenisti ? Sanè, inquit , cerno res creatas agitari, & contremiscere, propter eum, qui pendet in ligno: rerum esse creatarum opificem agnosco . Nisi enim esset hic rerum omnium procreator, Sol nudi aspectum erubescens, suos radios non occultaret, neque tenebras Dei hostibus offunderet : nisi esset hic terræ dominus , illa sanguinem è latere fluentem excipiens , non è fundamentis exclamaret: nisi esset hic opifex cœli , ac terræ, dum illum aspicit, tenebras, quasi saccum, non indueret : nisi esset hic vitæ dominus, & mortis, mors ad eum accedens, prorsùs non evanesceret, neque sanctorum sepulchra aperirentur: nisi esset hic templi dominus , templum, dum illum in crucem actum videt, non suum velum discinderet: nisi esset hic ille , qui pro peccatore velit mortem subire , pro peccatoribus non supplicaret, dicens: Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt . Hujus enim mors omnes

Vulg. Et erit vita tua, quasi pendēs āte te. Isa.53. b Vulg. Livore ejus sanati sumus.

Luc.23. e

conciliat, atque confirmat. Namque descendit ad inferos, & cum omnibus ascendit. Quarè exclamans latro, non dixit: Memento mei Domine, quando benè tecum agetur; sed memento mei in regno tuo, Domine. At quid ad illum Dominus? Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Quando igitur vidit diabolus cuncta ex ordine, ac dispensatione geri, & quæ prodigia fiebant in cruce, Solem obscurari, terram concuti, templi velum diffringi, petras findi; vel illusus ad infernum confugit, & ait: Heu me miserum, sum in fraudem inductus, sum deceptus: misero mihi subveni: obstruamus fores; ne huc ingrediatur; vectibus communito; atque omnibus copiis resistamus, ut ne illum recipiamus. Occurrit infernus, fores occlusit, vectibusque communivit. Ecce autem Dominus adit infernum, diabolum insequitur: copiæ præcurrebant. Ecce tibi occlusæ portæ, & exclamarunt exercitus, dicentes: Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Infernus intus respondens: Quis est, ait, iste Rex

glo-

gloriæ? Rursus ajunt exercitus: Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ. Infernus verò: quis est iste, quem dicitis? quod si est ejusmodi, quid quærit hoc loco? quid cœlum reliquit? quid huc descendit? Ajunt exercitus: quoniam est Rex gloriæ, ut eum vinciat, huc accessit, qui illi adversatur, tibique illum tradat, suosque milites à te auferat, ac revocet. Infernus verò respondens dicit diabolo: Triceps Beelzebub, Angelorum lapsus, imbecille, nequam, nonne te monui, ne cum illo certares? Ecce nunc adsunt, quæ prædixi tibi; quid ages miser? cur mihi dicto audiens non fuisti? En venit, ut te quærat, ac vinciat, tuaque causa, captivus fio. Egredere, si potes, eique obviam prodi. Ego enim opem tibi ferre non possum. Diabolus verò flens, ac lugens, respondet: Miserere interim parumper mei: ne aperias; interdum opera mutat, interim certa pro me: quanquam illusus sum, quis enim non ejus falleretur verbis? Nam aliquandò mortis timore perculsus ait: Tristis est anima mea usque ad mortem, aliquandò verò ad patrem

supplex his verbis accessit: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Hæc me verba, tanquam esca
Matt. 26. d ceperunt. Ille respondens: Hæc ait, ego quoque suspicabar miser, eo quod mortem timens, angebatur. Cum hæc illi dicerent, exercitus urgebant, his verbis: Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Jam verò Prophetæ, cùm de Rege gloriæ voces acciperent, gaudebant, & exultabant. Dicebat Joannes: Nonne hoc vobis confirmavi, venturum illum, ac vos exempturum? Lætabantur omnes, & inferno, aperi, ajebant, portas tuas, ut Rex gloriæ ingrediatur. At infernus id non ferrebat. Vates autem David in hæc verba respondit: Nam vaticinium meum re ipsa comprobari necesse est. Cum enim in terris essem, quod jam fit, ipse prævidi: illum videlicet ultrò non reseraturum, ac dixi: Dominus contrivit portas æreas, vectes ferreos confregit: inferni nimirum copias proculcavit, mortis dolores dissolvit, stimulos inferni comminuit. Atque illud est comprobatum re ipsa

sacra-

Sacrarum literarum monumentum. Ubi est, mors, stimulus tuus? ubi tua, ò inferne, victoria? Obviam illi vates prodiere, gaudio triumphantes, exultantes, canticis, & laudationibus Dominum celebrantes: Benedictus, qui venit in nomine Domini, osanna in excelsis. Tum correptum diabolum Dominus conjecit in vincula nullo unquam tempore dissolvenda; eumque immenso, perpetuoque igne, ac vermibus nunquam intermorituris constravit; ibique fletibus, ac gemitibus interclusus tenetur. Dominus verò, vates omnes assumptos ex inferno eripuit, ut pergerent in Paradisum. At illi elati gaudio ex inferno exiluerunt. Primus David fidibus canens, perfusus lætitia: Venite, ajebat, exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro: quoniam Rex noster bello gesto victoriam est adeptus. Tum succinuerunt omnes, Alleluia. Et rursus idem: Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis: quoniam Rex noster, pro nobis pugnans, victor evasit. Atque ita lætitia exultantes, contenderunt ad Paradisum. Illuc ingressi, offenderunt Latronem: cum

1. Cor. 15. e Vulg. ubi est, mors victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus?

Ps. 94. a

Ps. 69. a

eum admirati, ita ſunt alloquuti: quis te huc introduxit? quis tibi portas aperuit? quid feciſti, cur ante nos in hunc locum intrares? An huc etiam ad latrocinandum veniſti? an, ut, quæ hic ſunt, deprædaris, acceſſiſti? non contentus terreſtribus, etiam cœleſtia diripere vis? narra nobis; quis te huc introduxit? non invidemus tibi adventum iſtum, ſed inquirimus cauſam. Reſpondit is: Factorum quidem meorum cauſa, indignus ſum, qui huc ingrediar; ſed qui benignus eſt, ac miſericors, huc me admiſit; ego enim nihil boni habeo: quocirca me quoque Iudæi cum Rege immortali condemnarunt, cumque me ſimul cum Chriſto in crucem egiſſent, cumque viderem ipſe prodigia, quæ in cruce acciderent, & intelligerem illum eſſe filium Dei, voce in hæc verba contendi: Memento mei, Domine, in regno tuo: is continuò meis precibus admiſſis, ait mihi: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo: mihique crucis tradidit ſignum, cum diceret: Hoc accepto, in Paradiſum perge. quod ſi te ingreſſu igneus gladius prohibuerit, regium illi ſi-

gnum

gnum oſtende, tibique portas aperiet. Acceſſi, ſtatimque ut me igneus gladius, qui in Paradiſo excubias agit, portas occluſit. Ego verò me ab eo Rege, qui modò cruci affixus eſt, miſſum eſſe confirmavi, & ſignum prætuli: tum ille confeſtim aperuit. Huc ingreſſus offendi neminem, obſtupui, atque illa mecum ipſe: Ubi Abrahamus, Iſacus, Jacobus? ubi vatum multitudo? Dum hæc mecum admiror, & cogito, ecce mihi, ad partem dexteram orientis Solis, affecta ætate duo cernuntur viri, ac forma admirandi, aſpectuque venerabiles, qui me his verbis interrogant. Tu quis es? Abrahamus non es; illius enim ſacerdotalis eſt habitus. Moſes non es; nam ille gracilis erat voce, & hæſitabat lingua: tu verò expreſſè, clarèque pronuntias. Tu nobis latro videris; nam tua figura latrocinantis eſt. Latronem eſſe me non negavi; meque dixi à Rege Paradiſi huc eſſe miſſum; quoniam me illi comitem præbuerim ad interitum, quem noſtri cauſa pertulit. Atque illis ego: Vos verò, inquam, quinam obſecro? atque alter eorum reſpondens: Ego ſum, ait,

Helias

Hælias Thesbites, ignitoque curru huc elatus, interitus adhuc expers vivo. Hic verò mecum Enochus est, huc Dei jussu translatus. His auditis vates Dominus laudibus celebrarunt pro eo munere, ac beneficio, quod facinorosis dedisset hominibus. At Dominus morte spoliata, inferno proculcato, vectibus confractis, obstricto Diabolo, in libertatem homine vindicato, omnes in cœlum, excitatus ab inferis deduxit; cui gloria, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.



SAN-



SANCTI BASILII MAGNI FRAGMENTVM.

Quot rationibus malæ cogitationes in animo oriantur, & quo modo declinentur.

Ex Bibliotheca Vaticana,

Pomponio Brunello interprete.

IAm verò, quoniam, quæ ad cognitiones pertinent, expendimus, non tamen adhuc quot rationibus malæ cogitationes exiſtant, perſecuti ſumus; id jam faciendum nobis eſſe cenſuimus, ut partitionis noſtræ queſtio


tio profligetur. Duæ igitur rationes ſunt, ex quibus cogitationes abſurdę rectas rationis functiones, actioneſque perturbant: vel quando animus in jis, quæ non ſunt opus, ſua ipſius ignavia, incuriaque vagatur; & ex inanibus viſis, ac temerè in ipſum admiſſis, incidit in ea, quæ item inania ſunt; vel quando diaboli inſidiis capitur, qui rerum abſurditates menti ſubjicere, eamque à contemplatione eorum, quæ laudantur, conatur abducere. Quando igitur animus mentis vim, contentionemque remittens, quaſcumque, vel rerum quarumcumque recordationes admittit; tunc ratiocinandi facultas, cum imperitè, & illiberaliter ad ea, quæ in mentem veniunt, fertur, jiſque diutiùs immoratur; in errores ex erroribus incidit, atque in turpitudines ſæpè, cogitationeſque abſurdas ad extremum fallaceſque convertitur. Verumtamen hujuſmodi animi contemptus, deſpicientia, & effuſio, vehementiſſimo, accuratiſſimoque animi ſtudio dirigenda, & revocanda eſt; atque honeſtarum, laudabiliumque rerum conſideratione in re præſenti ſemper detinenda. Quan-
do

do verò Diabolus insidias parat, ac magna vi cogitationes suas, quasi ignita quædam tela in animum quiescentem, & otiosum intorquere conatur; eumque inflammare repentè, atque infames, ac diuturnas recordationes eorum, quæ sunt semel ejecta, renovare; tunc vigilantia, curaque vehementiore, hujusmodi sunt insidiæ repellendæ; perinde, ac si quis athleta, diligentissima custodia, corporisque celeritate adversariorum captiones declinet. Et pia precatione, in qua sunt omnia, & præsidii superni invocatione agendum est, ut belli profligandi facultas impetretur. Hoc enim nos Paulus docuit, cum ait: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Quare quamvis in ipsis precibus improbas cogitationes ipse injiciat; animus tamen, cum intelligat, id esse illius impudentiæ, qui est vitiorum auctor, absurdarumque cogitationum; vehementiùs preces intendat, Deoque supplicet, ut à se improbam machinationem repellat, quæ ex absurdarum cogitationum recordatione consurgit, ita ut mentis impetu,

petu, qui impediri non possit, sine mora, atque omni abjecta cunctatione, ad Deum perveniat; neque perversis recordationũ aggressionibus impellatur. Quod si hujusmodi cogitationum vexatio, & improbitas, oppugnantis augeatur impudentia; ne ita quidem animus despondendus neque imperfecta certamina relinquenda; sed usque eo vires sunt adhibendæ, ut nostra Deus perspecta constantia, Spiritus Sancti munere nos illustret, quòd & insidiatorem convertat in fugam, & mentem puram, integramque reddat, ac divino lumine repleat, placida cogitationum tranquillitate; utque Deum ipsi cum lætitia colamus, & veneremur.



SAN-



SANCTI

IOANNIS

CHRYSOSTOMI

DE PRECATIONE

ORATIO PRIMA.

Pomponio Brunello interprete.



Uas ob caufas Dei cultores admirandi funt, ac beati judicandi: tum quòd fpem falutis in fanctis precibus collocabant; tum quòd, cum hymnos, & precandi formulas literis mandatas, quas Deo cum lætitia, ac timore offerebant, nobis quoque fuum thefaurum tradiderunt: ut omnem pofteritatem poffent ad fe imitandos allicere. Par eft enim doctorum mores ad eos pervenire, qui

ipfis

ipsis dant operam: itemque par est, prophetarum discipulos, imitatores eorum esse justitiæ; ita ut vitam nostram in precibus, Deique cultu perpetuò traducamus, atque in ea re vitam, valetudinem, divitias, bonorum finem positum esse censeamus; ut Deum puro, & incorrupto animo deprecemur. Etenim, ut corpus Solis lumine, sic animus precationum radiis illustratur. Si ergò cæci calamitas est Solem aspicere non posse, quanta tandem est Christiani viri jactura, non assiduè Deum precari, Christique splendorem in animum precibus inferre? Jam verò Dei benignitatem, atque clementiam quis non admiretur, quis non suspiciat, quam nobis ostendit, cum tantum honorem hominibus deferat, ut eos precatione, ac sua consuetudine dignetur? Etenim cum Deo re vera precationis tempore colloquimur, qua cum Angelis quoque conjungimur, qua longè à pecudum communione recedimus. Angelorum est enim precatio, quæ vel eorum superat dignitatem; si quidem cum Deo loqui præstantius quiddam est. id tamen ipsi nos docent, qui magno timo-

timore preces offerunt, noſque admonent, nobis, qui ad Deum accedimus, timorem eſſe ſimul, & lætitiam adhibendam: timendum quidem verentibus, ne precatione indigni eſſe videamur; lætitia nos tamen ex honoris magnitudine perfundi oportere, quòd tanta, ac tali providentia mortale genus honeſtetur, ut aſſiduò Dei perfruatur, ex quo & à mortalitate, & à vitæ curriculo, exiguo tempore circumſcripto, recedimus, quippe qui, tametſi natura mortales, ob Dei tamen conſuetudinem familiarem ad vitam progredimur immortalem. Etenim qui cum Deo familiariter verſatur, morte illum, omnique interitu potiorem eſſe neceſſe eſt. Atque, ut eſt omninò neceſſe, qui Solis radiis potiatur, à tenebris procul abeſſe; ita omninò, Dei conſuetudine fruentem oportet non ampliùs eſſe mortalem; nos enim ad immortalitatem ipſa honoris magnitudo traducit. Nam, ſi qui regem familiariter alloquuntur, & apud illum locum obtinent dignitatis, fieri non poteſt, ut inopia laborent; fieri omninò longè difficiliùs poteſt, ut qui ſupplices ad Deum

acce-

accedunt, & cum eo colloquuntur, mortales animos nancifcantur. Mors enim eft animi vita à pietate, ac legibus aliena: ejufdem igitur animi vita conftat & religione, & actionibus vivendi, quæ cum religione confentiant, atqui vivendi rationem fanctitate illuftrem, ac divino cultui congruentem, preces afferunt, & in animos noftros mirificam rerum omnium pretiofarum copiam recondunt. Nam five quifpiam virginalem pudicitiam adamarit, five nuptiarum temperantiam colat, five iracundiam continere, vitamque manfuetè traducere, five invidentia vacare nitatur; precatione duce hujufmodi vitæ viam præmuniente, expeditum habebit, & facilem pietatis curfum: non enim fieri ullo modo poteft, ut qui temperantiam, juftitiam, manfuetudinem, benignitatem à Deo contendunt, non voti compotes fiant. Petite enim, inquit, & dabitur vobis; omnis enim, qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulfanti aperietur. Et alibi rurfùs: quis eft, inquit, ex vobis, à quo fi petierit filius fuus panem, num lapidem dabit ei? vel fi pifcem petierit, num

fer-

ſerpentem dabit ei ? Si igitur vos, cum mali ſitis, noſtris dona bona dare filiis veſtris, quanto magis pater veſter cœleſtis dabit Spiritum Sanctum petentibus ſe? His verbis, & hac ſpe propoſita, ad precationem nos rerum omnium Dominus cohortatur. Nos verò decet obtemperantes Deo, in laudibus, ac precibus perpetuò vivere; ita ut Dei cultu, quam animis noſtis, arctiùs teneamur: ita enim licebit nobis vitam hominibus dignam agere: nam quicumque Deum non precatur aſſiduè, neque divino colloquio frui cupit, mortuus eſt, & anima, ſenſuque penitùs caret; illud enim eſt maximum ſtultitiæ, ac ſtuporis argumentum; ſi honoris hujus magnitudo ignoratur, ſi precatio non amatur, ſi non animæ mors eſſe exiſtimatur, Deum precando non venerari. Ut enim corpus hoc noſtrum, opinor, cum animus abeſt, mortuum eſt, ac fœtidum: ita niſi ſe aminus ad precationem excitat, mortuus eſt, miſer, ac fœtidus. Atqui quavis morte acerbius putandum eſſe precatione ſpoliari, vates ille nos Daniel docet, qui mori maluit, quam tribus die-

bus à precibus retardari. Neque enim ut contra pietatem aliquid faceret, præcepit Rex ille Persarum, sed illud agebat, ut trium dierum cessationem reperiret; nam sine divino nutu bonum nullum in nostros animos venerit, nutus verò divinus labores nobiscum aggreditur, eosque præclarè sublevat, si preces videat à nobis diligi, nosque assiduè Deum orare, ac sperare cuncta inde ad nos bona descensura. Quando igitur aliquem video à precationis studio abesse, neque illius ardenti, ac vehementi amore teneri; jam mihi exploratum est, nihil ab eo magnificum, nihil præclarum possideri. Quando verò aliquem cerno in Deo colendo sine satietate persistere, quique non precari assiduè in magnis numeret detrimentis, omnium illum virtutum acerrimum cultorem, Deique templum esse conjicio. Quod si amictus hominis, pedum gressus, & risus dentium, quæ in eo celantur intus, retegit, sapientis Salomonis sententia, multò magis precatio, Deique cultus est justitiæ argumentum; cum illa vestis quædam sit spiritualis, ac divina, quæ mentes nos-

nostras magno decore, ac pulchritune induit, & exornat; quæ singulorum vivendi rationem aptam efficit, atque compositam: quæ non patitur ulla re vili, & absurda mentem occupari: quæ persuadet, ut Deum, ac dignitatem, quæ ab illo in nos derivatur, vereamur: quæ docet, ut omnem hostis improbi præstigias, atque fallacias depellamus: quæ turpes, & indignas cogitationes abigit: quæ in voluptatis despicientia, animum cujusque constituit. Hæc enim una superbia decet eos, qui Christum colunt, ut nulli turpitudini serviant; sed animus in libertate, vivendique ratione integerrima conservetur. Et fieri quidem omninò non posse, ut sine precibus vita cum virtute ducatur, perspicuum esse omnibus existimo. Etenim quomodo quis virtutem colat, qui non accedat, seque abjiciat supplex assiduè ad eum, qui eam nobis suppeditat, atque largitur? Qua ratione quis temperantem, & justum se esse cupiat, qui non assiduè cum illo versetur, qui & hæc, & plura his à nobis exigit? Volo autem paucis ostendere, nos, quamvis culpis, &

sceleribus coopertos precatio deprehendat, illicò tamen expiari. Jam verò quid precatione majus, vel divinius fiat, quando medicinam quandam, expultricem ægritudinum esse constat iis, qui morbis animi conflictantur? Ergò notum est, Ninivitas primos à plurimis per precationem delictis, & sceleribus liberatos. Statim enim ut illos deprecatio occupavit, justitiæ participes effecit, & civitatem, quæ cum intemperantia, nequitia, vivendique ratione nefaria degere consueverat, celeriter correxit, veteri consuetudine plus valens, cœlestibus civitatem legibus explens, temperantiam, benignitatem, clementiam, procurationem pauperum secum ducens, sine his enim animam incolere nequaquam potest. Verùm in quamcunque mentem commigrarit, omni eam probitate cumulat, ad virtutem informat, nequitiam pellit. Et sanè si quis tunc Ninivem ingressus esset, qui illam antea probè nosset, civitatem profectò non agnovisset; ita repentè à nequiore vita ad pietatem transilivit. Ut enim fœminam inopem, ac pannosam, aureis postea vestimen-

timentis exornatam si quis aspexerit, mulierculam non agnoscat; ita qui civitatem illam antea vidisset egentem, ac spiritualibus destitutam thesauris, ignorassent omninò, quænam esset civitas, quam ita precatio commutare, & illius mores, vivendique rationem ad virtutem traducere potuisset. Et verò mulier quædam, quę in intemperantiam, & meretricio quæstu omnem anteactæ vitæ cursum confecerat, simul atque se ad Christi pedes abjecit, salutem consecuta est. Atqui non modò criminum culpas, ac maculas delet, sed magna etiam pericula repellit. Rex ille simul, ac vates admirabilis David plura, & gravia bella precatione profligavit, his telis duntaxat exercitum præmuniens, & efficiens, ut per quietem, & securitatem sui milites victoria potirentur. Nam alii quidem reges in ducum experientia, & artificio, in sagittariis, peditibus, equitibus spem salutis habebant: at magnus David Sanctis precibus exercitum muniebat; non ducum, centurionum, præfectorum, equitum supercilia intuebatur, non pecunias conficiebat, non arma comparabat; sed è cœlo

divina illæ armorum genera universa deducebat. Cuncta enim re vera cœlestium armorum genera divinis precibus continentur; quæ vel solæ possunt eos tueri, qui se Deo tradiderunt: nam peditum quidem robur, atque peritiam, sagittariorum experientiam, in prodendo hoste calliditatem sæpè vel hostilis obtutus, atque adversariorum ardor animi, aliaque prætereà inanem reddunt: at precatio telum est insuperabile, tutumque presidium, quòd æquè militem unum, ac multa millia profligat. Nam & admirabilis David Goliadem illum, ut metuendum quendam Dæmonem irruentem, non armis, non gladiis, sed precatione dejecit. Ita telum est acerrimum & regibus in præliis deprecatio, & nobis ad dæmonum impetum propulsandum. Ita etiam rex Ezechias victor è Persarum bello discessit, non acie instructa, sed una precatione hostium copiis opposita: idem hac una ratione mortem evitavit, Deum congrua pietate veneratus: atque ita una precatio Regem vitæ restituit. Et sanè animum peccatorum sordibus inquinatum facilè precibus expiari,

testis


testis est Publicanus, qui cum à Deo veniam precatus esset, voti compos discessit: testis leprosus, qui simul atque se ad Dei pedes abjecit, illicò curatus est. Quod si à corpore Deus vitiato, atque corrupto morbum celerrimè depulit: multo magis animo vitiis infecto curationem humaniter adhibebit: nam quo præstantior est animus corpore, eo magis par est ardentius à Deo in illo studium collocari. Et sanè sexcenta quispiam tum vetera, tum nova proferre possit exempla, si quibus preces saluti fuerunt, enumerare voluerit universos. At fortassè quispiam è segnioribus, & ex iis, qui accuratè, ac studiosè precari nolint, sibi persuaserit illa verba Deum idcircò esse proloquutum, videlicet: Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui est in cœlis. Ego verò si in una precatione ad nostram salutem satis esse virium putarem, meritò hæc objici dicerem: quoniam verò bonorum omnium caput precationem esse confirmo, atque rationis honestè, laudabiliterque vivendi, fun-

damentum, atque radicem, nemo ad excusationem inertiæ illis verbis abutatur. Neque enim unam temperantiam sine aliis bonis, non unam pauperum providentiam, non benignitatem, non aliud quidpiam ex jis, quę sunt cum honestate conjuncta: sed omnia uno, eodemque concursu oportet in animos nostros influere: verùm precatio tanquam radix subjicitur, & fundamentum. Et quemadmodum navigium, ac domus inferioribus partibus firmatur, & constat; ita precibus vitæ nostræ ratio continetùr, sine quibus nihil nobis boni contingat, nihil salutare. Propterea nos Paulus urget his verbis: orationi instate, vigilantes in ea, in gratiarum actione; & alibi: sine intermissione orate, inquit, in omnibus gratias agite, hæc enim est voluntas Dei; & alibi rursus: orate omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia, & obsecratione. Sic plurimis, divinisque vocibus ad preces nos semper dux Apostolorum cohortatur. Quare nobis, qui ab illo instituimur, vita est in precibus traducenda, jisque mens perpetuò irriganda; non enimminus, quam arbores aquis, il-

lis

lis nos indigemus universi. Nam neque illæ possunt esse fructuosæ, nisi humorem radicibus ebibant; neque nos pretiosissimas pietatis fruges fundere, nisi precibus irrigemur. Quamobrem & cum lectulo surgimus, antevertere Solem oportet Dei cultu, & cum mensæ accumbimus, & cum somni causa cubamus: imò verò singulis horis precatio est aliqua ad Deum adhibenda, & in ea diei cursus conficiendus. Hyberno verò tempore plurimam noctis partem in precibus traducamus, & magno cum timore genua flectentes, precationi operam demus, ac beatitudine nos ipsi dignos, Deo colendo, reddamus. Age verò quo modo Solem aspicies, non illum ante veneratus, qui oculis tuis lucem Solis dulcissimam profert? Quanam ratione mensa perfrui audebis, non ante veneratus tantorum bonorum fontem, & auctorem? Qua spe ad tempora nocturna pervenies? quæ tibi visa secundum quietem objectum iri suspicaris, si nullis precibus præmunitus, nullo præsidio septus quieti te tradas? facillimè te improbissimi dæmones contemnent, & implicabunt, qui oberrant assiduè, qui occasionem

captant, observantes, ut, si quem precatione destitutum deprehenderint, sine mora corripiant. Quare, siquidem septos nos precibus viderint, continuò tanquam fures, ac scelesti resiliunt, qui gladium militis capiti appensum cernant. Quod si contigerit, ut aliquis sit precibus nudus is, à dæmonibus abripitur, & in scelera, exitia, calamitates impellitur. Hæc igitur metuentes, precibus, atque hymnis nos ipsos tueamur, & muniamus oportet, ut sua nos Deus misericordia, & cœlorum regno dignetur per unigenitum suum, cui gloria, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.



SAN-



SANCTI IOANNIS CHRYSOSTOMI DE PRECATIONE

ORATIO ALTERA.

EODEM INTERPRETE.



Uanquam video neminem ignorare cum bonorum omnium caput, ac fontem, tum ſalutis, immortaliſque vitæ conciliatricem eſſe precationem; de ea tamen, quæ noſtra feret facultas, dicenda ſunt: ut & qui mente tota, omnique animi ſtudio in eam incumbere conſueverunt, vehementiùs inflammentur, & qui vitam abjectiore animo, à precibuſque remoto traduxerunt, præteriti temporis jacturam

ram agnoſcant, ſalutemque ſuam reliquo vitæ tempore minimè afflictam, ac deſertam eſſe patiantur. Principio igitur illud in primis de precatione dici poteſt, eum, qui precatur, cum Deo colloqui. Quantum verò ſit, hominem in divinum colloquium venire, nemo eſt, qui neſciat. Verùm rei dignitatem quis verbis aſſequatur? Etenim hujuſmodi honos etiam Angelorum amplitudinem facilè ſuperat: id, quod illi, cum probè intelligant, omnes ferè apud prophetas, cum laudes, & cultum domino adferunt, ſummo cernuntur timore correpti; dum ora, pedeſque præ veneratione tegunt: dum volatu, motuque aſſiduo, ſummam religionis trepidationem præ ſe ferunt. Quin etiam nos, ut opinor, monent, ut precandi tempore humanæ naturæ obliviſcamur; atque veneratione, ac timore perculſi, nihil ante oculos poſitum aſpiciamus, ſed in medio Angelorum choro nos eſſe, & eundem, quem illi, cultum Deo nos perſolvere arbitremur. Etenim cætera illorum omnia, & noſtra, ut natura, victus, ſapientia, & quidquid dixerit quiſpiam, longo

inter-

intervallo inter se distant: precationis autem officium est hominibus commune cum Angelis, neque est aliquid, quod sit intermedium in jis, quæ ad precandum pertinent. Hac segregaris à pecudibus, hęc te Angelis jungit, hac brevi sanè illorum reipublicæ, illorum vitæ, vivendique rationi, dignitati, nobilitati, sapientiæ, intelligentiæ adjungetur, qui omnem sibi vitam in precibus ponendam putabit. Quid enim sanctius jis fiat, qui Dei consuetudine perfruũtur? quid justius, ornatius, sapientius? Nam si jis, qui sapientibus hominibus familiariter utuntur, ex assidua consuetudine, illorum prudentiæ participes celeriter fiunt; quid de jis dicendum est, qui divina consuetudine fruuntur, & cum Deo ipso colloquuntur? Quanta sapientia, quanta virtute, prudentia, probitate, moderatione replet ipsos oratio, & obsecratio? Itaque non sanè is aberret, qui omnis virtutis, justitiæque materiem esse precationem affirmet; neque posse eorum aliquid, quæ ad pietatem conducunt, precatione, & obsecratione nudum animum penetrare. Verùm ut urbs mœnibus minimè septa facilè in

ho-

hostium potestatem venerit; quod ita nemo illos propulsare possit; sic precatione animum non communitum facilè diabolus in suam redigit potestatem, facilèque contaminat omnium turpitudine flagitiorum. Primum enim cum animam precibus viderit circumseptam, veritus robur, ac vim, quam preces illi suppeditant; quæ animum magis alunt, quam cibus corpora; propiùs non audet accedere: deinde, qui omni animi cura preces adhibent, non patiuntur aliquid precatione indignum in se admittere, sed Deum veriti, qui cum modo colloquuti sunt, omnes repentè improbi hostis cônatus repellunt, cum secum ipsi cogitent, quanti sceleris sit, eum, qui nuper & Dei colloquio fruebatur, & pro temperantia, & sanctitate impetranda illum obsecrabat, ad diabolum repentè transfugere, & obscœnis voluptatibus animum tradere constringendum; inque mentem, quam Deus nuper invisit, aditum diabolo patefacere, dæmonesque admittere in animum, quem spiritus sancti gratia benignitate summa, ac providentia decoraverit. Id verò qua

ratione

ratione fiat, accipe. Fieri nullo modo potest, ut homo sine divini spiritus ope divinam ferat consuetudinem: verùm oportet hac præsente, & sanctos conatus prosequente, rem aggredi, genua flectere, obsecrare, precari. Cum enim res humanas longè superet divinus congressus; ingrediente in nos Spiritus Sancti gratia, confirmemur, corroboremur, honoris magnitudinem doceamur, necesse est. Itaque, cum tibi esse cum Deo sermonem intellexeris, teque precaturum sancti spiritus efficacitatem excipere; omnes aditus diabolo in animum jam divino spiritu expiatum intercludes. Ut enim, qui sunt cum rege colloquuti, & illius humanitatis, facilitatis, honoris fructum ceperunt, à mendicorum, abjectorumque hominum congressu abhorrent; ita, qui Dei colloquio dignus est habitus, adduci non facilè poterit, ut improbum dæmonem, & impium in suam recipiat necessitudinem. Etenim, qui se voluptatibus mancipat, is re vera dæmonibus familiariter utitur, eorumque insaniam æmulatur: ut contra is, qui temperantiam, & justitiam colit,

Angelis

Angelis familiaris efficitur, & ad eorum amplitudinem contendit. Quod si quis animi nervos preces appellaverit, mihi profectò verè dicere videatur. Etenim, ut corpus, opinor nervorum beneficio constat, currit, stat, vivit, compactumque est, iisque incisis, omnes corporis numeri dissolvuntur; sic animi per sanctas preces & conglutinantur, & constant, cursumque habet pietas facilem, ac secundum. Quod si te ipsum precatione spoliaveris, perinde feceris, ac si piscem ex aquis extraxeris: ut enim hic aqua vivit, sic tu precationibus: per has tanquam per aquam evolare, orbes cœlestes superare, ad Deum propiùs licet accedere. Ut igitur sanctæ precationis robur ostendatur, vel quæ diximus satis sunt: præstabit tamen fortassè, ut ad sancta volumina accedentes ex Christi verbis divitias agnoscamus; quas preces comparant iis, qui omnem ætatem in ipsis ponere velint. Dicebat autem, inquit, & parabolam ad illos, ut semper precandum esse demonstraret. Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, & hominem non reverebatur.

tur.

tur. Vidua autem quædam erat in civitate illa, & veniebat ad eum dicens: vindica me de adverſario meo, & nolebat per multum tempus. Poſt hæc autem dixit intra ſe; Etſi Deum non timeo, nec hominem revereor, tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam: ne in noviſſimo veniens, ſugillet me. Ait autem dominus: audite, quid judex iniquitatis dicit. Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die, ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum. Nos verò, fratres, abditam ſapientiam in ſermonibus ſpiritus addiſcamus, & pro facultate noſtra inveſtigemus, non quantum in ipſa ſit, ſed quantum nobis aſſequi licet. Atque illi quidem, qui in mari vitam degunt, ipſum pelagus penetrantes, gemmas adferunt ad eos, qui ſunt in terris, nos verò divinarum literarum pelagus perluſtremus, & ad ipſum profundum ſpiritalis ſcientiæ, quantum in nobis eſt, decurramus, ut vobis theſaurum præſtantiſſimum adferamus, qui animos ornet meliùs, quàm capita regum præ-

clarissimis gemmis distinctæ coronæ: namque harum præstantia hujus vitæ cancellis circumscribitur: qui verò sermonibus spiritus coronat animum, is & jam securus vivit, & vita functus fidenti animo ad Christi tribunal accedit, refertus virtutibus, & ab omni labe integerrimus. Ergò quem tandem thesaurum è sacrorum voluminum profundo vobis offerimus? non ipsum sapientiæ profundum attingentes; sed eo delapsi, quo licet. Ad precationem Christus homines cum vellet allicere, & ejus commoda nostris mentibus proponere, judicem inducit quendam improbum, sævum, qui pudorem omnem ab occulis abjecisset, Dei timorem expulisset ex animo. Atqui satis fuit justi, & clementis cujuspiam personam inducere; ut ejus justitia, si cum divina clementia conferretur, vim precationis ostenderet. Etenim si vir bonus, & mitis eos humaniter excipit, qui ad se supplices veniunt; quanto magis excipiet Deus, cujus benignitatis magnitudo non modò mentem nostram, sed ipsos Angelos fugit? Satis igitur fuit, ut modò dicebam, justi judicis personam pro-

pone-

ponere: jam verò judicem crudelem, impium, inhumanum inducit; in alios quidem immitem, in obsecrantes certè benignum, ac facilem; ut intelligas oratione naturam vel improbam ad lenitatem, clementiamque traduci. Quorsùm igitur Christus id fecit? ut nemo esset omnium, qui vim precationis ignoraret. Cum verò propterea in conspectu judicis acerbissimi viduam constituisset, ipsumque præter ejus naturam humanum ostendisset; à scelesto judice ad patrem suum orationem traducit, optimum, mansuetum, mitem, humanum, scelera superantem, multa peccata condonantem, quotidianas in se contumelias, dæmonis honores, in filium maledicta, & sexcenta nefaria facinora perferentem: quique cum tantis contumeliis appetatur, iis perferendis ita se clementem, ac mansuetum præbet: is verò, si nos debito timore ad se accedentes viderit, non ne subita misericordia capietur? Audite, inquit, quid judex iniquitatis dicat. Etsi Deum non timeo, nec hominem revereor, tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo eam. Quid di-

dicis? quod non potuit timor, id obsecratio potuit? Non minæ, non supplicii metus hominem ad æquitatem deduxit: at vidua ubi supplex accessit, hominem ex agresti, & immani mitem reddidit, ac mansuetum. Quid igitur de Deo in hominem benignissimo censendum est, cum vidua se ad pedes abjiciens, ferum, ac ferreum hominem lenierit, ac mitigarit? Quantum bonitatis, quantum benignitatis, atque amoris in nos patefaciet Deus, qui solùm vult perpetuò misereri, punire nunquam? Qui & supplicia nobis ob eximiam humanitatem comminatur, & magnos habet paratos honores; ut cum timor, tum spes honoris rectà nos deduceret, & spes quidem ad virtutem excitaret, metus verò à vitiis deterreret. Non queo ab iniquitatis judice avocare mentem, dum in illius mansuetudine, quæ præter naturam erat, inexplicabilem Dei humanitatem erga homines, amoremque contemplor. Nam si is, qui nihil unquam boni præstare voluerat, immutatus repentè, illius, quæ rogabat, misericordia commotus est; quantum felicitatis è cœlo in nos precibus

cibus redundabit? Sanctarum igitur precationum robur, ac vim quivis facilè cernet, qui quanta bonorum copia, diebus, atque horis ſingulis fruantur ji, qui ſe quocunque tempore ad Dei pedes abjiciunt, conſideraverit. Quis enim lucem Solis, Lunæ, atque Stellarum; cœli temperationem, varia ciborum genera, divitias, vitam, innumerabilia bona omnibus hominibus, & probis, & improbis à Deo æquè dari, & impertiri non videt? idque propter eximiam ſuam in nos benignitatem. Quod ſi eos qui minimè rogant, aut petunt, ita miſeratur in dies, ac reficit; quantis bonis eos frui par eſt, qui in precibus, & obſecrationibus ætatem agunt. Jam verò quantus juſtorum virorum ſit numerus, quibus licuit piis precibus gentes, urbes, terrarum orbem conſervare, vobis tandem aperiamus. Et quidem de precatione cum agitur, de Paulo primùm agendum eſt, de Paulo, inquam, illo, qui in Deo colendo, ac precando nunquam defatigabatur, communi patre, & principe ſervorum Chriſti. Ille igitur univerſi terrarum orbis cuſtos aſſiduis precibus omnes gen-

gentes tutatus est; cum nobis ita testatum reliquerit; Propterea flecto genua mea ad patrem domini nostri Jesu Christi, unde omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gratiæ suæ, ut virtute corroboremini per spiritum ejus in interiori homine, ut per fidem Christus in cordibus vestris inhabitet. Vides igitur, quantum virium habeat, atque nervorum precatio, & obsecratio? Templa Christi homines efficit. Atque ut auro, & lapidibus præstantissimis, marmoribusque domus regiæ constant; sic templa Christi precationibus. Ut inhabitet, inquit, Christus in cordibus vestris. Quæ major precationis laus esse possit, quam quod Christi templa ex ea fieri soleant? Quem non capiunt cœlestes orbes, is animo, qui in precatione vitam ducat, continetur. Cœlum est mihi sedes, inquit, terra verò scabellum pedum meorum. Qualem domum ædificabitis mihi, ait dominus, vel quis locus commorationis meæ? Qualem domum Paulus Sanctis precibus ædificavit? Flecto, inquit, genua mea ad patrem Domini nostri Jesu Christi,

ut

ut Chriſtus per fidem in cordibus veſtris inhabitet. Atque hinc etiam Sanctarum precationum vim quiſque cognoverit: nam cum idem Paulus omnem orbem terrarum, quaſi volucris aliqua pervolaret, in carcere verſaretur, flagella perferret, catenas geſtaret, in cædibus, ac periculis viveret, dæmones expelleret, homines à mortuis excitaret, morbos curaret; ad hominum tamen ſalutem harum rerum nulla confidebat, ſed precibus terras communiebat, & poſt edita miracula, vitamque mortuis reſtitutam, ad preces recurrebat, non ſecùs atque athleta ad palæſtram, parta victoria. Etenim vitæ mortuis reſtituendæ, aliarumque rerum omnium vim precatio una ſuppeditat. Quam enim vim in arboribus habent aquæ, eandem in hac vita Sanctorum virorum precationes. Noctu cum his animum Paulus irrigaret, difficultates facilè ſuperabat, & plagis dorſum tanquam ſtatua præbebat. Ita in Macedonia cuſtodiam concuſſit; ita vincula precibus confregit, ut leo; ita carceris cuſtodem ab errore liberavit; ita dæmonum tyrannidem delevit, atque diſſoluit.

luit. Et ſanè nota ſunt ea, quæ ad omnes homines ſcribit, ad orationem incumbite vigilantes in ea, in gratiarum actione: ſimul etiam pro me orate; ut mihi ſermo detur in apertione oris mei cum fiducia, ut loquar Evangelii myſterium. Quid ais? tantam nobis audaciam preces tribuunt, ut Deo pro Paulo ſupplicare audeamus? Quis miles regem pro ſummo duce audeat obſecrare? At nullus miles regi ita charus, & amicus fuit, ut Paulus Deo. Sed tamen preces tantum nobis afferunt dignitatis, ut divinum auxilium Paulo implorare non dubitemus. Ita Petrus ille ſummus, cœlo ſplendidior, carcerem effugit ob ſuam quidem virtutem, probitatemque potiſſimùm, & ob communem hominum ſalutem; deinde verò Eccleſiæ deprecatio celeriter carceris fores aperuit: non enim temerè ſcripſit Lucas, preces pro Petro aſſiduas ab Eccleſia fuſas, ſed ut à nobis intelligeretur, quantam vim habeant precationes in cœlo, ut à periculis Petrum, & Paulum eripiant, Eccleſiæ columnas, Apoſtolorum principes, in cœlo celeberrimos, terrarum orbis mœnia, communu-

mune totius terræ, marisque propugnaculum. Age verò Israelem Moses in bellis qua ratione servavit? non ne arma quidem, & exercitum discipulo tradidit; ipse verò hostium multitudini precationes opposuit? quippe, nos ut doceret, multò majorem in precibus justorum virorum, quàm in armis, equitatu, copiis vim inesse: propterea universus etiam exercitus, multaque hominum millia in Prophetæ precibus spem salutis habebant. Nam, precante Mose, Judæi victoriam reportabant; à precibus desistente, erant hostibus inferiores. Nos quoque si versemur in precibus, facilè Diabolum superabimus: at si segniores simus, in nos hostem improbum exercemus. Atqui Moses populum quoque impia perpetrantem, una precatione servavit; divinumque aspectum, & innumerabilia bona per preces tantùm consequutus est: hæc enim illi vitam quoque conciliavit incolarum cœli persimilem. Precatio ignis vim superat, Leones edomat: quorum alterum Danieli, alterum tribus pueris contigit. Ex his igitur, ut arbitror, omnibus patet, quoscunque illa periclitantes

exceperit, eos facilè impendentibus difficultatibus liberari. Precatio salutis est occasio, immortalitatis animorum conciliatrix, ecclesiæ murus firmissimus, propugnaculum inconcussum; terrori dæmonibus, piis nobis saluti. Hæc Sanctum vatem genuit Samuelem: nam, cum ad sobolem natura matri adversaretur; precatio exorta naturæ vitium repentè correxit. Talis ex precatione fructus extitit, talem deprecatio vatem procreavit. Itaque celebris in Cœlo Samuel factus est, cum Angelorum naturam, imitando, supra humanas vires expresserit. Oportuit enim, opinor, ut is, tanquam spica quædam precationis existeret, ceteris virtute, morumque integritate præstantior, eòque Sanctis hominibus, qui illum ætate præcesserant, superior esset, quò magis in segetibus quædam uberrimæ spicæ, atque altissimæ solent inter cæteras eminere. Hac David tot, ac tanta bella profligavit, non armorum strepitu, non hastarum conflictu, non stricto gladio, sed precationum præsidio communitus. Hac Ezechias Persarum multitudinem celeriter vertit in fugam.

gam. Et illi quidem ad evertenda mœnia machinas adhibebant: ipse verò precibus mœnia muniebat. Itaque extinctum est bellum precatione, non armis, non tubæ clangore, terra sanguine non aspersa, exercitu conquiescente, hostibus una precatione perterritis. Precatio Ninivitas etiam conservavit, è cœlo concitatam iram repentè sedavit, depravatam vivendi rationem subitò correxit. Tantum enim precatio valet, ut, cum turpissimam, & improbissimam vitam Ninivitæ duxissent, ea tamen in civitatem ingressa, omnia commutarit; temperantiam, justitiam, amicitiam, concordiam, pauperum providentiam, omniaque bona simul attulerit. Nam quemadmodum regina quæpiam urbem ingressa, omnes in eam divitiæ confluant necesse est: sic ubi precatio in animum semel intrarit, virtutes eum omnes comitantur. Quod enim est in domus ædificio fundamentum, id est in animo precatio. Itaque nos omnes hac primùm, tanquam basi, ac fundamento, in animo collocata, strenuè oportet ædificare; & temperantiam, mansuetudinem, justitiam,

pauperum providentiam, Christique leges universas imponere, per quem, & cum quo Patri cum Sancto Spirtu gloria, & imperium per sæcula sæculorum. Amen.





SANCTI BASILII MAGNI IN S. BARLAAM MARTYREM ORATIO.

Pomponio Brunello Interprete.



LUctu Sanctorum hominum obitus, priſcis temporibus, & lachrymis ornabatur. Jacobi mortem Joſephus deflevit: Moyſis interitum non mediocriter luxerunt Judæi, ac multis Samuelem flectibus cohoneſtarunt. At nunc in ſanctorum virorum obitu exultamus: Etenim poſt Crucem eſt moleſtiarum commutata natura. Non

ampliùs sanctis viris mortuis, ejulatibus, lamentationibusque parentamus; verùm ad eorum sepulchra divinas quasdam choreas agimus. Mors autem justorum somnus est, atque adeo in meliorem vitam commutatio. Quocirca exultant martyres, quando mactantur. Nam vitæ beatioris amor, dolorem mortis extinguit. Non discrimina spectat martyr, sed victorias, & coronas: non plagas horret, sed præmia numerat: non infra flagellantes carnifices, sed supra Angelos acclamantes, mentis oculis intuetur: non discrimen attendit, momento temporis circumscriptum, sed præmiorum æternitatem. Præclarum etiam apud nos arrabonem capit, quum ab omnibus divinis laudibus celebretur, & innumerabiles mortales sibi devinctos capiat è sepulchro. Hoc ipsum porrò, hodierna die generoso illi contigit Barlaamo. Etenim bellicum cecinit martyris, tuba militaris; & pietatis milites, ut cernitis, convocavit. Denuntiatum est Christi militem adesse: & ecclesiæ theatrum patefactum. Atque (ut fidelium Dominus ait: *Qui credit in me, etiam si mortuus fue-*

fuerit vivet) moritur præclarissimus Barlaamus: & omnium ordinum, ac generum convocat cœtus: conditus est monumento, & invitat ad epulas. Jam vero nobis tempus est exclamandi: Ubi sapiens? Ubi literatus? Ubi sæculi hujus inquisitor? vir nobis agrestis hodierno die proponitur, invictæ pietatis exemplum. Illum quidem tanquam facilem captu prædam Tyrannus attraxit: at post venationem militem insuperabilem agnovit. Illum incisim, ac rusticè loquentem irridebat: at eundem de rebus Angelicis alacriter agentem perhorrescebat, neque enim contraxerant mores cum linguæ instrumento barbariem: neque mens una cum syllabis claudicare cernebatur: verùm alter Paulus erat, qui cũ Paulo dicebat: *etsi imperitus sermone, non tamen scientia*. Carnifices verberando torpebant: at martyr vegetior existebat. Verberantium manus enervabantur: at vapulantis animus, & ratio non flectebatur. Nervorum contextum flagella dissolvebant: at fidei robur vehementiùs intendebatur. Virgis effossa latera consumebantur: at mentis, consiliique philosophia ef-

florefcebat. Maxima illius corporis pars interierat: & tamen vigebat, quafi nondum effet certamen aggref-fus. Etenim pietatis amore femel animus inflammatus, omnia bellorum genera facilè ridet: Et quicunque illum divexant ejus caufa, quem amat, oblectant potiùs, quàm cruciant. Teftis mihi Apoftolorum amor, qui jucunda illis Judæorum verbera reddebat. *Ibant enim*, inquit, *gaudentes à confpectu concilii, quia digni habiti funt pro nomine ejus contumeliam pati*. Talem fe nobis, quem colimus, hodiernus quoque miles exhibuit: quum fupplicia, & cruciatus duceret effe animi oblectamenta: quum cenferet fe flagellis, tanquam rofis quibufdam appeti: quum impietatis tenebras, tanquam tela declinaret: judicis iram fumi umbram putaret: fatellitum acies efferatas rideret: in periculis, quafi in coronis, triumphifque choreas ageret: plagis, non fecus, atque honoribus lætaretur: cruciatibus acerrimis, non aliter, ac præmiis amplif-fimis exultaret; diftrictos gladios nihili faceret: carnificum manus, ut cera ipfa molliores exciperet: patibu-

bulum, tanquam salutare amplecteretur : carceris claustris, tanquam pratorum viriditate oblectaretur: tormentorum commentis, tanquam florum varietatibus gauderet : igne dexteram haberet fortiorem : quæ postrema illi est ab adversariis adhibita machina. Etenim ara ad Dæmonum libationem incensa, eo martyr adducitur : eumque manum resupinam attollere jubentes, pro aereo altari, abutuntur manu deflagrante, thure in eam astutè conjecto. Sperabant enim fore, ut ignis viribus manus expugnata, illicò thus in altare demittere cogeretur. O vafrum impiorum hominum, veneficumque consilium! Quando, inquiunt, sexcentis animum vulneribus non fleximus : flectamus vel manum flamma pertinacis athletæ. Quando animum variis admotis machinis minimè concussimus, dexteram certè in ignem conjectam agitemus. Verùm hæc etiam spes homines miseros fefellit. Flamma enim manum exedebat : at manus flammam, quasi cinerem gestans, persistebat. Non terga vertit, more fugitivorum, igni oppugnanti : sed

contra flammam præstitit immota strenuèque decertans, atque illas prophetæ voces martyri suggerens: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & dignitos meos ad bellum.* Ignis manui applicabatur: at ignis ex pugna discedebat inferior: lucta flammæ, cum martyris dextera intercedebat, sed novam quandam victoriam dextera ex certamine referebat; dum flamma mediam manum trajiceret; manus tamen adhuc se intentam præberet ad luctam. O manus, quæ ignem superare contendit! O manus, quæ se igne flecti nescit! O ignis, qui dextera didicit superari! Ferrum mollescit, atque ignis potentiæ, imperioque succumbit: ipsa lapidum durities igne vinci consuevit; & tamen ignis robur, quo cuncta violantur, nunc martyris manum extensam comburendo non flectit. Enimuerò Dominum jure martyri fas est his vocibus compellare: *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti em.* Quo tandem te nomine generose Christi miles appellem? num statuam? at illa fortitudine tua mul-

to

to inferior est: illam enim, si semel ignis occupet, emollit: dexteræ tamen tuæ non persuasit, ut vel paullulum commoveretur. Quod si te ferreum nominem: hujusmodi quoque similitudinem fortitutidini tuæ imparem esse comperio. Tu enim unus flammæ, ne manum violaret, persuasisti. Tu unus altaris loco manum habuisti: tu unus dæmonum faciem, flagrante dextera, cæcidisti. Ac tum quidem adusta manu, illorum capita labefactasti: jam verò, hac eadem in cinerem redacta, eos inspergens, illorum copiis tenebras cæcitatis offundis. Sed quid ego herois laudes pueri more balbutientis obscurem? Hunc igitur cæteris, qui sint eloquentiæ ornamentis illustriores, celebrandum relinquamus. Oratorum præstantiorum artificium, vocem, ac latera ad illum uberiore verborum copia exornandum alliciamus. Eja nunc præclari pictores athleticorum facinorum, hanc à me vix adumbratam ducis imaginem vestro artificio perpolite. Coronatum pugilem à me obscuriùs adumbratum, vestræ sapientiæ coloribus illustrate. Discedam pictura vestra

ſuperatus, qua quidem res martyri præclarè geſtas expreſſeritis. Gaudeam ego me hodierna die, hujuſmodi veſtra virtute devictum. Cernam manum cum igne colluctantem à vobis deſcribi luculentiùs: cernam in imagine veſtra luctatorem illuſtriùs expreſſum. Doleant vel nunc dæmones præclaris ſe apud nos martyris facinoribus verberari, oſtendatur illis rurſus ardens manus, & victrix. Appingatur etiam tabulæ certaminum præfectus, & arbiter Chriſtus, cui gloria ſit in omnem æternitatem. Amen.



EJUS-



EJUSDEM SANCTI

BASILII MAGNI

ARCHIEPISCOPI

Cæſareæ Cappadociæ

DE SANCTO GORDIO MARTYRE

ORATIO.

Eodem Pomponio Brunello Interprete.



Atura eſt hoc apibus inſitum, ut ex alvearibus ante non prodeant, quam earum Rex Ducem ſe ipſis præbeat ad volandum. Quare quum Domini populum videam ad flores

cœ-

cœleſtes, nimirùm Martyres, prodeuntem; ductorem requiro. Quis magnum hoc examen excitavit? Quis hibernum mœrorem in veris convertit hilaritatem? Nunc enim primùm, populus tanquam ex urbis alvearibus effuſus, ſuburbanum decus, & grave hoc, præclarumque Martyrum ſtadium, ex omnium generum, ordinum, ætatum hominibus occupavit. Quoniam igitur etiam nos excitans Martyris huc admirabilitas adduxit noſtræ infirmitatis oblitos; eia ipſi quoque pro viribus in hujus viri rebus geſtis, tanquam in aliquo flore, bombum inſtar apis, edamus. Ita enim & piè nos agemus, & jis gratificabimur, qui adſunt. Etenim quum juſtus laudatur, lætabuntur populi, ut nobis audientibus modò ſapiens ille Salomon teſtabatur. Veruntamen non ſatis mihi conſtare potuit, quidnam velit hujuſmodi ænigmate proverbiorum auctor indicare. An quod, quum orator gravis, aut ſcriptor vehemens orationem habet accommodatam ad admirationem in auditorum animis efficiendam; & velut Echo lepidè, ac ſcitè perſtrepente, aures perſonant;
oble-

oblectari populos ait: dum inventionem, ac dispositionem sentētiarum, verborum ornatum, numerorum concentum, plausumque percipiunt? An id nequaquam dixit, qui hujusmodi verborum genere nusquam sit usus, neque nobis suaserit, ut in beatis viris collaudandis (quod in panegyricis fieri solet) orationis pompam ostentemus, qui pedestre semper, ac tenue orationis genus, & vocis inaffectatam, naturalemque rationem potissimùm adamavit? Quid igitur illud est, quod ait? lætari nimirùm populos lætitia spiritali, una rerum bonis viris rectè gestarum recordatione, ad quas æmulandas, & imitandas audiendo permoventur. Etenim insignium virorum historia, quasi lumen aliquod ad vitæ rationem jis, qui sunt salutis participes, ostendit. Nam ut Moysis vita, Spiritu sancto narrante, ad aures nostras perfertur, statim ejus virtus amorem in nobis excitat sui; & illius mores placidi, ac mites imitatione omnibus videntur, ac prædicatione dignissimi. Aliorum enim hominum laudationes, verborum amplificationibus constant: at bonis viris rerum gestarum veri-

tas satis est ad eximiam ipsorum virtutem declarandam. Quocirca dum eorum vitam persequimur, qui pietate pręstiterint: primùm quidem Dominum ipsum famulis celebrandis extollimus: deindè earum rerum laudibus, quas novimus, sanctis viris testimonium damus: populos demùm, rebus honestis, ac præclaris audiendis, exhilaramus. Est enim vita Josephi ad temperantiam colendam incitamentum: & ad fortitudinem ea nos, quę de Sampsone dicuntur, hortantur. Non ergò laudationum legibus divina schola subjicitur; sed laudationum loco ducit rerum gestarum testimonium. Quippe quod & ad laudem viris sanctis, & ad emolumentum sit satis jis, qui ad virtutem contendunt. Etenim laudationum lex est patriam exquirere, indagare genus, & vitæ institutum percensere. At leges nostræ propinquorum rationes reticent, & ex jis, quæ sunt cujusque propria, testimonium adornant. Cur enim propterea sim ipse præstantior, & gravior; quòd olim patria in difficilibus certaminibus, magnisque discriminibus versata, trophæa præclara in hostes

erexit?

erexit? Quid, si opportunitate loci rectè se habeat: ita ut sit ad hyemis, æstatisque molestias vitandas, ac tolerandas idonea? Quid, si eadem sit & hominum ferax, & ad pecoris pabulum fertilis? quæ inde tandem in me redundat utilitas? At etiam equorum gregibus cæteras vincit. Quid hæc nos meliores, ac probiores effecerint? An fortè montis item finitimi cacumina recensentes, quòd superent nubes, & in celsam cœli regionem assurgant, nos ipsi fallemus, ac si hujusmodi rebus hominum laudes hauriamus? Stultum profectò est, quum universa hæc terrestria spreta sint à bonis viris, ac pro nihilo habita, eorum à nobis laudationes ex paucis quibusdam rebus neglectis, atque abjectis expleri. Quamobrem rerum commemoratio satis est nobis ad utilitatem perennem. Neque enim illis opus est ad existimationis, ac dignitatis accessionem verborum amplificatio: sed nobis est, qui in hac vita versamur, ad imitationem necessaria recordatio. Nam ut ignem lux, & unguentum suapte sponte fragrantia sequitur; ita rectè facta necessariò consequitur emolumentum. At-

qui

qui ne id quidem exiguum est omninò putandum; si eorum, quæ tum gesta sunt, veritatem assequamur: fama enim quædam ad nos obscura pervenit: quæ hujus viri fortitudinem in certaminibus exhibitam conservat. Ut nescio quo modo idem nobis, quod pictoribus, contigisse videatur. Illi enim si quando ex imaginibus imagines pingendo describunt; à prima illa effigie, aberrant ferè longissimè: nos item, quibus ipsis rerum spectaculo interesse non licuit, non leve credo periculum proponitur, ne veritatem non satis assequamur. Verùm quoniam dies illuxit, quæ martyrem in memoriam revocet, qui palam ut daret Christo testimonium, decertavit, quæcumque novimus, afferamus. Natus est ille quidem in hac urbe: id, quod majorem nobis erga ipsum amorem, studiumque conciliat: quòd ad nos ejus laus, ac decus permanare videatur. Nam ut ex arboribus frugiferis quicumque fructus efferuntur, in terram, qua aluntur, recidere, deponique solent; ita quum hic ex patriæ nostræ visceribus extiterit, & summam sit gloriam consecutus;

illi

illi ipsi patriæ, quæ illum protulit, atque aluit, suos attribuit pietatis fructus percipiendos. Nam præclari quidem illi quoque sunt fructus, quos tellus longinqua produxit; siquidem & ad vescendum jucundi, & ad alendum sint accommodati; multo tamen jucundiores sunt nostrates, & nativi, quàm externi, atque adventitii, quippe qui ornamentum nobis, ac decus quoddam afferunt, eo quòd nobis domi nascantur. Ille verò in militum numerum illustris exercitus, adscriptus, ut Centurionis esset etiam munus illi commissum; quum & corporis robore, & animi fortitudine cæteris omnibus antecelleret, qui militiæ nomina dedissent; illius temporis tyrannus animi acerbitatem, ac sævitiam ad oppugnandam quoque ecclesiam intendit, & contra pietatem, & cultum divinum manum extulit impiam, atque sacrilegam. Ubique proponebantur edicta, ac toto foro, locisque omnibus celeberrimis promulgabantur decreta: ne Christo divinus cultus adhiberetur; illis etiam morte proposita, qui eum venerari auderent. Contra verò jube-

bebantur omnes Deorum ſimulacra colere, illoſque credere Deos, qui è lapidibus, ac lignis ſculpendi arte eſſent expreſſi, ac deformati. Alioquin in eos, qui detrectarent imperium, quique id agere recuſarent, extrema erant ſupplicia conſtituta. Totam porrò urbem confuſio, ac perturbatio, piorumque virorum direptiones invaſerant. Eripiebatur res familiaris: verberibus Chriſtum colentium corpora cædebantur. Per mediam urbem fœminæ pertrahebantur: non miſerationem faciebat juventus: non venerationem habebat ſenectus. Sed qui nihil peccaverant, facinoroſorum ſubire ſupplicia cogebantur: carceres anguſtabantur: domus erant opulentorum deſertæ: ſolitudines profugis complebantur: Unum verò crimen erat eorum, qui hæc perferebant, religio. Filium prodebat pater: patrem filius indicabat: mutuò inter ſe fratres inſaniebant: famuli in Dominos irruebant: atra quædam nox, ac funeſta omnes invaſerat, quum nemo quenquam agnoſceret, mentibus occupatis, ac læſis nefario diaboli conatu, atque conſilio; ſacræ diſturbabantur ædes impiorum manibus: everte-

tebantur altaria. Nulla erat oblatio: nullum incensum, sacrificium nullum, nullus primitias offerendi locus: sed mœror gravis, quasi nubes quædam occupaverat universa. Ejiciebantur divini numinis cultores; omnis pietatis libertas exterrebatur. At dæmones choreas ducere, omnia nidore, & cruore polluere. Tum vir hic generosus judiciorum necessitatem antevertens, abjecta toga, solum mutavit: spretis honoribus, aspernatus gloriam, divitias varias, affinitates, amicos, familiares, voluptatem vitæ; res denique omnes, quæ maximè sint hominibus expetendæ, se in abditissimas, & ab omnium accessu remotissimas solitudines abdidit: satius arbitratus ad animi tranquillitatem vitam agere cum belluis, quam ullum cum idololatris habere commercium; Heliæ illius exemplo, qui Zelotes est dictus, qui, ut idololatriam vidit Sidone dominantem, secessit in montem Chorebum: & in spelunca, perquirendo Deo, tandiù vitam egit, quoad aspexit, quem aspicere maximè concupivit. Talis Gordius fuit, dissensiones civiles declinans, tumultus fo-

forenses, Principum fastus, Judicum consessus, calumniatores, venditores, emptores, jurantes, mentientes, turpem sermonem, dicacitatem, aliaque omnia, quæ tanquam sarcinas attrahunt urbes, multitudine civium refertæ: & simul aures, atque oculos, in primis verò mentem, atque animum expians; ut & Deum cernere posset; & fieri beatus: eum contemplationum beneficio cernebat, non ab hominibus institutus, sed veritatis afflatus spiritu, divinis mysteriis imbuebatur. Ergò cum vitæ hujus illum subjisset cogitatio, quam sit inutilis, quam inanis, & somno, atque umbra quavis exilior, acriore vocationis supernæ studio elatus est. Ac tanquam athleta se satis institutum, ac paratum intelligens, ad certamen jejuniis, vigiliis, deprecationibus, assidua, & nunquam intermissa spiritus sancti oraculorum commentatione, hodiernum diem observavit: quo urbs universa, effuso populo, diem dæmoni belli studioso, ac patrono sacrum, festumque peragens, ludis operam dabat, equestri spectando certamine. Quare

quum

quum totus populus convenisset, ubi non Judæus aberat, non Græcus, quibus se non exigua Christianorum multitudo adjunxerat: qui vitam incautè traducebant, & considebant, ipsi quoque in eo consessu, ubi nullum erat consilium, nulla prudentia: neque aversabantur improborum hominum cœtus, qui tunc aderant, equorum celeritatem, aurigarumque peritiam intuentes. Quin etiam famulos domini vinculis relaxarant, & è gymnasiis pueri ad spectaculum convolarant. Neque verò vulgares fœminæ deerant, ac minus insignes. Erat stadium refertum, & omnes jam in equorum certamen animos intendebant. Tum verò generosus ille vir, atque alta quadam mente præditus, è celsis montibus in theatrum descendens, non populum horruit: non secum reputavit, quam sese multorum hostium in manus traderet: sed forti animo, atque constanti eos, qui considebant in stadio, tanquam petras quasdam continentes, aut multas arbores prætertiens in medio constitit, verba confirmans paroemiaste: Justus confidit ut leo: tantaque erat in eo animi magni-

gnitudo, atque ab omni metu remota, ut quum esset in aperto theatro, imperterrita libertate in ea verba proruperit, quæ adhuc nonnulli sunt, qui audiere, superstites. *Inventus sum à non quærentibus me, palam apparui jis, qui me non interrogabant*; quibus verbis ostendit, se in discrimina non necessitate coactum vocari; sed spontè in certamen descendisse, Domini vestigia persequutum, qui nocturnis tenebris, quum à Judæis non agnosceretur, se ipse patefecit. Quamobrem ex inopinato, admirandoque spectaculo, theatrum in se unum convertit, vir alioquin agrestior aspectu, ob assiduam in montibus commorationem, squalore obsito capite, promissa barba, vestitu sordido, toto corpore obrigescente, bacillum manu gestans, humerisque appensam peram: quæ tamen omnia, venustate quadam ex occulto perfusa, hominem illustrabant. Ergò ubi constitit omnibus quis nam esset, vox illicò confusa est ab omnibus excitata, tum eorum, quibus fides erat cum illo communis, quòd nimia plauderent lætitia, tum eorum, qui veritatem oppugnabant, ut ad illius

cæ-

cædem judicem incitarent, eumque ſuæ vocis præjudicio condemnarent. Perſonabant igitur omnia clamore, ac tumultu: deſpiciebantur aurigæ; curruum oſtentatio, ac pompa fruſtrà perſtrepebat. Nullius enim oculis aliud quidpiam præter Gordium ſpectandi dabatur otium, neque aliud poterant omnium aures niſi ejus verba percipere. Strepitu quodam obſcuro, veluti quadam aura toto theatro volitante, Circus perſonabat. At ſilentio per præcones populo indicto, illicò tibiæ conſopitæ, illicò variorum concentuum inſtrumenta conticuerunt. Audiebatur Gordius, in Gordium omnium oculi convertebantur. Tum verò confeſtim ad magiſtratum ibi conſidentem, ludoſque moderantem abreptus eſt. At primò quidem humaniter, ac placidè, quiſnam, & cujas eſſet interrogatur: ubi verò patriam protulit, genus, & gradum dignitatis, qua erat ornatus, fugæ cauſam, & reditum: & adſum, inquit, reipſa tum decretorum veſtrorum contemptionem, tum fidem in Deum, in quem credidi, demonſtraturus. Etenim perlatum eſt ad me, ait, multis te immanita-

quoniam tu mecum es, aliaque horum similia, quæ ad fortitudinem cohortantur, quæ divinis erat oraculis edoctus: & quidem tantum aberat, ut minis ille cederet, ac metu terreretur; ut vel in se supplicia provocaret. Quid cunctamini, ait, quid cessatis? Dilaceretur corpus, torqueantur membra, discrucientur, ut vobis lubet: ne mihi beatam spem invideatis: quo enim me gravioribus suppliciis afficitis, eo mihi majora præmia comparatis. Commercia nobis hæc sunt, permutationesque cum Domino; pro vibicibus, quæ existant in corpore, indumentum in Resurrectione clarissimum efflorescet: pro dedecore coronæ succedent: pro carcere Paradisus, pro damnatione, qua cum facinorosis mulctamur, Angelorum consuetudo. Serite in me plurima, ut multiplicem fructum, atque uberrimum demetam. At, ubi minis, ac suppliciorum metu hominem capere non potuerunt, illum demulcere, agendi ratione commutata, cœperunt, hoc enim est artificium diaboli, meticulosum terret, fortem emollit: cujus modi tunc artibus, ac dolis versutus

utebatur : ubi enim ipſum minis videt non cedentem, fraudibus, atque illecebris circumvenire conatur; munera partim pollicetur, partim defert: alia ei regis nomine ſpondet, in exercitu ſplendorem, facultatum vectigalia, denique quicquid expeteret. Ubi verò fruſtrà ſe tentare animadvertit, (auditis enim promiſſis vir beatus, ejus dementiam deridebat: ſiquidem quippiam ſe daturum eſſe cenſeret, quo cœleſte Regnum compenſaretur) tum verò impotens iræ ſtringit gladium, carnificem ſiſtit, manu, & lingua cædem intentans, beatum virum capite damnat. Porrò illuc totum theatrum deflexit, & quicunque reliqui fuerant incolæ, extra mœnia effuſi magnum illud, æmulandumque certamen intuebantur, Angelis, totique mundo admirandum, funeſtum diabolo, dæmonibus horrendum. Urbs civibus exhauſta eſt, quum hominum multitudo eo repentè, torrentis inſtar confluxiſſet: non fœmina ſe privari ſpectaculo paſſa eſt, non vir ſive obſcurus, ſive inſignis. Prodibant ædium cuſtodes, patebant mercatorum officinæ: projectæ jacebant in

fo-

foro res venales: una erat omnium custodia, una tutela in eo sita, ut omnes æquè ita prodirent, ut ne scelestus quidem ullus in urbe remaneret. Dominorum cultum famuli deserebant: quicunque inquilini, quicunque indigenæ aderant, eò se ad virum illum spectandum conferebant. Tunc in virorum conspectum virgo prodire non verita, & senes, atque ægri imbecillitati corporis vim afferentes, extra mœnia egressi sunt. Jam verò, quum virum beatum per mortem ad vitam contendentem, familiares, ac necessarii convenissent, eum complectebantur venerantes, & extremum vale dicentes cum gemitu supplices, vimque lacrymarum profundentes, obtestabantur, ne se se in ignem projiceret, ne juventutem suam immatura morte pessundaret, ne se jucunda hac lucis usura privaret. Alii verò eum consiliis in speciem probabilibus in fraudem impellere nitebantur. Verbo tantùm ajebant, inficias ito, animo verò fidem retine ad arbitrium tuum. Omninò non linguam Deus, sed loquentis mentem attendit: ita enim tibi & judicis hujus animum mitigare lice-

bit, & Deum habere propitium. At verò ille nec flecti, nec frangi, nec ullo tentationum ictu vulnerari poterat. Persimilem ejus animi fortitudinem invictam diceres illius viri prudentis ædibus, quas neque ventorum impetus acerrimi, neque imbres maximi è nubibus erumpentes, neque torrentes irruentes possunt, quòd in petra firmissima jecerit fundamenta, convellere. Ejusmodi erat vir ille, qui firmamentum immotum in Christo per fidem tueretur: qui mentis oculis interim circumcursantem diabolum cerneret, lacrymas aliis excitantem, aliis ad fidem faciendam opitulantem. At ille quidem objecit Domini verbum: *Nolite flere super me*: sed flete super eos, qui Deo adversantur, & qui talia in eos moliri non dubitant, qui religionem, ac pietatem colunt: qui gehennæ ignem sibi ipsi comparant per hujusmodi ignem, quem nobis accendunt. Desinite deplorare, mihique animum lacerare: equidem non solum ad unam mortem, sed ad sexcentas, si fieri posset, perferendas pro Domini Iesu nomine sum paratus. At jis, qui ut lingua abnegaret, suadebant, id u-

num

num respondebat: linguam videlicet à Christo conditam non pati à se quidpiam contra conditorem proferri. *Nam corde credimus ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* An fortè desperanda salus est ordinis militaris? nullus ne religiosus Centurio reperietur? Reminiscor Centurionis primi, qui cum Christi cruci adstaret, ex rebus admirandis, divinæ potentiæ cognitionem adeptus; quum recens adhuc esset nefarium Judæorum facinus, neque illorum iracundiam timuit, neque subterfugit; quo minus id, quod verum erat, palam prædicaret: sed confessus est, & non negavit: *quia verè filius Dei erat iste.* Alium quoque Centurionem novi, qui adhuc vivum Dominum agnovit, & copiarum Regem, & jussu tantùm per spiritus sibi deservientes posse deprecantibus opem ferre: cujus etiam fidem Dominus majorem esse vniversi fide Israelis asseruit. Nonne Cornelius, quum esset ipse Centurio, Angeli conspectu dignus est habitus, ac salutem tandem est, Petri beneficio, consequutus? Nam ejus eleemosynæ à Deo fuerant, & preces auditæ. Illorum ego volo esse

discipulus. Qua ratione igitur Deum meum negabo, quem à pueritia colui? nonne Cœlum desuper perhorrescet? nonne me astra tenebris involuent? Nonne me obruet terra dehiscens? Nolite errare, Deus enim non irridetur: ex ore nostro nos judicat: ex verbis absoluit: ex oratione condemnat. Nonne metuendas Dei minas legistis? Nempe *qui me negabit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui est in Cœlis*. Cur mihi, ut ista callidè dissimulem, & ementiar, suadetis? An fortè, ut me ipsum hac arte potissimùm liberem? ut paucorum dierum lucro vitam prorogem? at totius jacturam faciam æternitatis. An ut corporis ærumnas, & labores effugiam? at justorum hominum bona non videbo. Apertæ dementiæ est, artificiosè perire, seque in æterna supplicia per scelus, fallaciamque conjicere. At vobis do etiam ipse consilium; si quidem malè sentitis, percipite animis religionem. Quod si pro tempore dissimulatis; abjecto mendacio loquimini veritatem: Dicite, Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Hanc enim vocem omnis e-

det

det linqua, quando in nomine Iesu omne genu flectetur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Mortales quidem sunt omnes homines, at martyres pauci. Ne patiamur nos fieri mortuos; sed de vita in vitam commigremus. Cur mortem sua sponte advenientem expectatis? Caret fructu, caret lucro, hominibus est cum pecudibus communis. Etenim qui nascendo sunt in hanc vitam ingressi, eos vel tempus absumit, vel morbus dissolvit, vel major quæpiam vis, ac necessitas abripit. Quoniam igitur moriendum est omnibus, vitam nobis morte comparemus: facite volentes, quod est necessariò faciendum. Nolite vitæ parcere, cujus est privatio necessaria, quanquam si res humanæ pariter perdurarent, studendum tamen esset, ut eas cum cœlestibus commutaremus. At si brevi sunt permansuræ, si ab illarum dignitate longissimè distant; maximæ est, gravissimæque dementiæ, propter earum cupiditatem eorum bonorum facere jacturam, quæ in beata vita speramus nobis esse proposita. His dictis, crucis signo communitus; ad mortiferam plagam accipiendam perrexit:

neque colore ulla ex parte immutato, neque hilaritate vultus imminuta. Ita enim erat affectus, non ut is, qui esset in carnificis potestatem venturus: sed ut se in Angelicas manus traditurus: à quibus se tanquam Lazarum alterum è recenti nece receptum, in beatam vitam translatum iri sciebat? Quis illius populi clamorem persequatur? quod non tonitru, tantum aliquando è nubibus in terram sonitum demisit; quantus ex jis, qui erant in terris tunc est elatus in Cœlum? hoc est victoris illius, & corona donati curriculum. Hæc dies spectaculum illud admirandum vidit, quod neque tempus obscuravit, neque consuetudo dissolvit, neque ulla posteritas abolevit. Vt enim Solem semper suspicientes, semper admiramur; ita & viri illius recentem semper memoriam conservamus. *Nam in memoria æterna erit justus*, sive apud eos, qui versantur in terris, quamdiu terrarum stabit orbis, sive in cœlis, sive apud justum Judicem, cui gloria, & imperium in æterna tempora debetur. Amen.

Ejus-



Ejusdem Archiepiscopi

SANCTI

BASILII

MAGNI

IN QVADRAGINTA

MARTYRES

ORATIO.

Eodem Pomponio Brunello Interprete.



Cqua tandem satietate, commemorationis martyrum studiosus martyrum teneatur? Nam qui honor probis conservis habetur, is amorem in communem dominum declarat. Neque enim est obscurum, eum, qui claros viros am-

plectatur, & probet, eorum vestigia, ubi res tulerit, persequuturum. Beatum illum prædica, qui martyrii coronam est adeptus, ut voluntate, & consilio ipse martyr evadas, dignusque sis, cui sine pressura, sine igne, sine flagellis, eadem laus, ac merces persolvatur. Nobis verò non unus proponitur admirandus, non duo tantùm, neque ad decem usque laudandorum numerus ascendit:. verùm quadraginta quasi unum animum una conspiratione, & fidei consensione distinctis corporibus complexi unam, eademque ed res duras, & asperas fortitudinem, unam pro veritate contentionem præsetulerunt. Omnium erat una mens, omnes unum, atque idem sentiebant, unum studebant; una omnium pugna, atque certamen fuit; eodem igitur gloriæ præmio jure optimo donati sunt. Quis igitur eorum dignitatem dicendo consequatur? ne quadraginta quidem linguæ tot, tantorumque virorum virtutem satis collaudare queant. Quod si vel unus esset nobis laudandus, nostram tamen dicendi facultatem facilè superaret. non modò tanta multitudo,

mili-

militaris phalanx, insuperabilis manipulus, cum in bellis invictus, tum quavis laudatione superior. Age verò in medium ipsos huc, eorum repetenda memoria, proferentes, communem, quę ex eis promanat, utilitatem proponamus iis, qui adsunt: eorum præclara facinora tanquam in tabula describentes, quandoquidem quæ fortiter, feliciterque etiam in bellis gesta sunt, tum historici sæpenumerò, tum pictores adumbrant, atque exprimunt: illi quidem ornatu verborum, hi verò tabularum pictura: atque ita multos ad fortitudinem excitant; quę enim ex historia in auditorum animis inserit per auditum oratio, ea pictura tacens imitando demonstrat. Ita igitur nos quoque horum virtutem in eorum mentes, qui adsunt revocabimus, & eorum facta quasi in aspectum proferentes, ad imitandum illos potissimùm concitabimus, in quibus generosior est, & horum similior animus, ac voluntas: Martyrum enim laudatio eò spectat, ut auditores ad virtutem cohortetur. Neque enim orationes, quæ de sanctis viris habentur encomiorum le-

le-

legibus teneri patiuntur. Nam qui laudationes instituunt ex hujus mundi rebus exordiorum capita petere solent: at quibus mundus est crucifixus, qua tandem ratione res hujusmodi materiam illis dicendi suppeditarent? Non una fuit hisce sanctissimis viris patria; nam alii aliunde orti erant. Quid? extorres igitur illos appellabimus? an mundi cives? nam ut in pecuniis collectitiis quidquid à singulis confertur, commune eorum fit, qui illud conferunt: ita horum beatorum virorum uniuscujusque patria omnium communis est; & omnes undique sunt tradentes sibi mutuo patrias singuli singulas. Vel ut meliùs dicam, cur patriæ sint in terra positæ perquirendæ, quum illam ipsam eorum esse civitatem, ac patriam, cujus nunc sunt incolæ, intelligere liceat? Ergò martyrum civitas, Dei civitas est, cujus opifex, & conditor Deus, Hierusalem superior, libera, Pauli, omniumque ejus similiũ mater. Genere verò, quatenus homines, alii alio orti erant: At quod ad spiritum spectat, unum erat omnium genus, nam communi patre nati Deo,

&

& omnes fratres, non ex uno, & una geniti, sed ex adoptione Spiritus sancti in charitatis conjunctionem cooptati: chorus paratus, magnum eorum, qui post homines natos honorem Deo detulerunt, additamentum: non sigillatim congregati, sed repentè translati. Quæ porrò fuit ratio translationis? Hi quum corporis magnitudine, atque ætatis robore, ac flore omnibus æqualibus antecellerent; jussi sunt nomina in militiam dare: quippe qui, & propter militarem peritiam, & propter animi fortitudinem, primos jam erant apud reges honores adepti; jidemque erant propter virtutem celebres apud omnes. Ubi verò sacrilegum illud, & impium edictum promulgatum est, ne Christum homines confiterentur, alioquin jis supplicia esse subeunda: quum omnia cruciatuum genera intentarentur: quum vehementi iracundia, & efferata acerbitate adversus pietatis cultores iniqui judices concitarentur, insidiæ in eos, dolique struerentur, varia quæstionum genera compararentur, carnifices implacabiles, ignis esset in promptu, exacueretur gladius, crux de-

defigeretur, fovea, rotæ, flagella expedirentur: alii profugiebant, alii fuccumbebant; percellebantur alii; nonnulli antequam periculum facerent, vel minis ipfis deterrebantur: alii trepidabant, ubi ad fupplicia propiùs acceffiffent: alii certamina jam ingreffi, cum deinde ufque ad finem laborum perdurare non poffent, in media pugna turpiter animos abjicientes, non fecus, atque ii, qui in mari tempeftate jactantur, fi quas jam haberent patientię merces, earum jacturam turpiter faciebant. Tum verò invicti illi, ac generofi Chrifti milites in medium prodeuntes, cum magiftratus, regiis literis prolatis, exigeret obedientiam: voce libera, audacter, ac fortiter, nihil eorum, quæ cernuntur metuentes, nullis comminationibus territi, Chriftianos fe effe proclamarunt. O linguas beatas, quæ facram illam vocem pronunciarunt! quam quidem excipiens aer confecratus eft, Angeli audientes applauferunt, qua diabolus eft cum dæmonibus vulneratus, quam Dominus in cœlo defcripfit. Unufquifque igitur ex iis in medium prodiens

ait,

ait, Christianus sum: atque, ut ji, qui in stadiis versantur ad certamen prodeuntes, simulatque sua quisque nomina proferunt, in locum certaminis migrant; ita etiam tunc hi, abjectis nominibus, quæ in ipso ortu fuerant ipsis imposita (à communi omnium conservatore singuli nomen ducebant) idque ita præstiterunt omnes; ut eum, qui præivit, deinceps singuli sequerentur ex ordine. Quare uno omnes nomine nuncupati sunt: non enim hoc, vel illo nomine, sed Christianos se universi contenta voce nominabant. At quidnam ille, qui eo tempore dominabatur? (sævus enim erat, & astutus) blanditiis partim eos aggredi, partim deterrere minis. Primùm quidem eos illecebris demulcens, pietatis robur labefactare conabatur. Nolite (ait) juventutis vestræ proditores esse; neque mortem intempestivam cum hac jucunda vita commutare. Turpe enim est, qui in bellis præclarè se gerere consueverunt, eos mortem obire scelestorum. Ad hæc opes alias pollicebatur, alias tribuebat; honores illis à rege, magistratuum distributiones: sexcentis

tis denique illos commentis oppugnabat. At ubi manus ipsi, hac admota machina, non dederunt; alterum machinæ genus aggreditur: verbera ipsis, & mortem intentare, & intolerabilium cruciatuum faciendum esse periculum confirmare. Atque illi quidem hæc: martyrum verò quæ? Quid (ait eorum quispiam) blandiris nobis, Dei hostis, ut à Deo vivo deficiamus, ac perniciosis, funestisque dæmonibus operam navemus, tuis bonis propositis, scilicet? Quid enim nobis tantum tribuis, quantum conaris eripere? odi munus, quod mihi afferat detrimentum: odi honorem dedecoris parentem: fortunas caducas, fluxasque largiris, gloriam deflorescentem: Regi me concilias, & me à Rege vero alienas. Quid accuratiùs de rebus minimis disserens pauca quædam ex terra proponis? universus à nobis mundus iste
espic [illegible] arum rerum expectatio-
[illegible] etimus, ea, quæ oculis
[illegible] n adæquantur. Cœlum
[illegible] quam [illegible]lcrum aspectu,
[illegible] num [illegible] orbem ter-
[illegible] ò continen-
[illegible] orum, cum
ho-

hominũ justorum beatitudine conferri potest: hæc enim prætereunt, nostra verò permanent. Vnum expeto munus, justitiæ videlicet coronam. Vni gloriæ inhio cœlestis regni: expeto superos honores: cruciatum timeo, qui est in Gehenna, ignis ille mihi terrori est: quem enim mihi minitamini, conservus est: consuevit simulacrorum contemptores venerari: vestra verbera, stultorum jacula puto. Verberas enim corpus, quod quo diutiùs perpeti potest, eo illustriùs coronatur. Quod si citiùs occumbit, excedit, & à judicibus tam violentis eripitur, qui corporum opera, & officio non contenti, etiã animis imperare contenditis: qui nisi Deo nostro anteponamini, quasi maximis à nobis injuriis affecti, graviter, molestè que fertis, atque hujusmodi sævas in nos animadversiones intenditis, pietatem nobis crimini vertentes. At enim non in timidos, non in vitæ propagandæ studiosos, non in meticulosos homines incidistis: ecce nos pro nostra in Deum charitate, parati sumus rotam perpeti, torqueri, comburi, omnia tormentum genera subire. His auditis, tyran-

tis denique illos commentis oppugnabat. At ubi manus ipsi, hac admota machina, non dederunt; alterum machinæ genus aggreditur: verbera ipsis, & mortem intentare, & intolerabilium cruciatuum faciendum esse periculum confirmare. Atque illi quidem hæc: martyrum verò quæ? Quid (ait eorum quispiam) blandiris nobis, Dei hostis, ut à Deo vivo deficiamus, ac perniciosis, funestisque dæmonibus operam navemus, tuis bonis propositis, scilicet? Quid enim nobis tantum tribuis, quantum conaris eripere? odi munus, quod mihi afferat detrimentum: odi honorem dedecoris parentem: fortunas caducas, fluxasque largiris, gloriam deflorescentem: Regi me concilias, & me à Rege vero alienas. Quid accuratiùs de rebus minimis disserens pauca quædam ex terra proponis? universus à nobis mundus iste despicitur: earum rerum expectationi, quas expetimus, ea, quæ oculis cernimus, non adæquantur. Cœlum hoc intueris? quam pulcrum aspectu, quam magnum? Cernis orbem terrarum, & ea, quæ ipso continentur admiranda? nihil horum, cum ho-

hominũ justorum beatitudine conferri potest: hæc enim prætereunt, nostra verò permanent. Vnum expeto munus, justitiæ videlicet coronam. Vni gloriæ inhio cœlestis regni: expeto superos honores: cruciatum timeo, qui est in Gehenna, ignis ille mihi terrori est: quem enim mihi minitamini, conservus est: consuevit simulacrorum contemptores venerari: vestra verbera, stultorum jacula puto. Verberas enim corpus, quod quo diutiùs perpeti potest, eo illustriùs coronatur. Quod si citiùs occumbit, excedit, & à judicibus tam violentis eripitur, qui corporum opera, & officio non contenti, etiã animis imperare contenditis: qui nisi Deo nostro anteponamini, quasi maximis à nobis injuriis affecti, graviter, molestè que fertis, atque hujusmodi sævas in nos animadversiones intenditis, pietatem nobis crimini vertentes. At enim non in timidos, non in vitæ propagandæ studiosos, non in meticulosos homines incidistis: ecce nos pro nostra in Deum charitate, parati sumus rotam perpeti, torqueri, comburi, omnia tormentorum genera subire. His auditis, tyran-

rannus insolens, ac barbarus tantorum virorum fiduciam non tulit, & iracundia flagrans, secum reputare cœpit, ecquam reperire machinam posset, qua jis mortem diuturnam simul, atque acerbam afferret. Cepit porrò consilium, videte quàm dirum. Etenim cum regionis naturam animadverteret esse perfrigidam, tempestatem hybernam, expectata nocte; qua maximè vis frigoris desevirret (quum eam præsertim perflaret Boreas) jussit eos, detractis vestibus, in media palude, sub dio congelatos interire. Nostis verò, quicumque hyemis injurias experti estis, quam sit id tormenti genus intolerandum: neque enim fieri potest, ut aliis demonstretur, nisi iis, qui facto periculo, exempla habent eorum quæ dicantur, sibi ante oculos posita: corruens enim corpus alget: ac primùm quidem, sanguine concrescente, totum livescit: deinde concutitur, & ebullit; dum dentes inter se colliduntur, nervorum fibræ velluntur, tota corporis moles invita contrahitur: acerbus quidam profectò dolor, & labor inexplicabilis medullas ipsas pertingens, ac penetrans

in-

intolerandum affert conglaciantibus sensum doloris. Deinde obrigescunt extremæ corporis partes; dum tanquam igni quodam aduruntur. Etenim calor ab extremis corporis locis in ima confugiens, partes, unde discessit, mortuas relinquit, eas, in quas compellitur, doloribus afficit; morte sensim concretionis opera progrediente. Tunc igitur sub dio pernoctandi pœna mulctati sunt, quando palus, circa quam urbs est exædificata, ubi sancti decertarunt, erat, veluti campus ad equitandum aptus, quum eum glacies immutasset, & effectus ob gelu continenti persimilis, calcabilem se incedentibus incolis exhiberet: fluviorum quoque perennium glacie constrictorum cursus constiterat, atque aquæ mollis natura erat in lapidum firmitudinem, duritiemque conversa. Boreæ porrò flatus acerrimi cunctas animantes ad interitum impellebant. Tunc igitur edicti promulgatione audita (attendite autem invictum, & insuperabilem animum) abjicientes singuli cum gaudio vel intimam tunicam, ad mortem sibi per glaciem inferendam accesserunt: quum se inter se

tan-

tanquam ad prædam aliquam incitarent. Non indumentum ajunt exuimus, sed hominem veterem deponimus, qui fallacibus cupiditatibus depravatur. Gratias tibi Domine agimus, quoniam simul cum hoc vestimento, peccatum abjicimus: quoniam, quod serpentis fraude indueramus, jam Christi beneficio illud exuimus. Ne nos Paradiso, quem olim amisimus, prohibeant indumenta. Quam parem aliquandò gratiam Domino referemus? Dominus etiam noster exutus est. Quid magnum famulo ea pati, quæ Dominus passus sit? vel potiùs nos, nos inquam ji sumus, qui Dominum spoliavimus. Fuit enim militum illud facinus: ab illis exutus, ab illis vestimenta divisa sunt. Ergò nobis jam crimen adscriptum, relatum jam in acta, nos ipsi deleamus. Acris est hyems? at dulcis est, jucundusque Paradisus. Est molesta concretio? at fructus jucundus. Sustineamus parumper, & sinus nos Patriarchæ confovebit: noctem unam cum tota æternitate commutabimus. Adurantur frigore pedes, ut perpetuas cum Angelis choreas ducant: diffluant manus, quo

se

ſe ad Dominum tollere liberiùs audeant. Quam multi noſtrorum commilitonum in acie ceciderunt, ut fidem regi mortali ſervarent? Nos, ut in verum Regem retineamus fidem, non hanc vitam abjiciemus? quam multi ſceleſtorum hominum, mortem, in ſceleribus deprehenſi, ſubjerunt? Nos eam pro juſtitia non feremus? Ne declinemus de via commilitones: ne locum diabolo demus: membra hæc habemus, & corpus, ne illi parcamus. Quoniam omninò moriendum eſt, moriamur, ut vivamus. Fiat ſacrificium noſtrum coram te Domine, & excipiamur tanquam viva hoſtia tibi grata: dum hujuſmodi glacie, inſtar holocauſti, comburimur. Præſtans oblatio: novum holocauſtum, quod non per ignem, ſed per glaciem immolatur. His cohortationibus quum ſe mutuis inflammarent, aljique urgerent alios, & incitarent, quaſi quandam in bello vigiliam, & cuſtodiam explentes, noctem traducebant: quum forti, magnoque animo res præſentes ſubirent, ſummo earum, quas ſperabant elati gaudio, adverſarium irridentes. Una verò erat omnium hæc depreca-

catio. Quadraginta in ſtadium ingreſſi ſumus; quadraginta Domine corona donemur: Ne unus quidem huic numero deſit.. Eſt in honore, numerus, quem quadraginta dierum jejunio decoraſti: per quem legum latio ingreſſa eſt in orbem terrarum. Quadraginta in jejunio dies quum Deum exquireret Helias, illius eſt aſſequutus aſpectum. Atque hæc quidem erat illorum ſupplicatio. At unus ex numero, rerum aſperitate, gravitateque deficiens receſſit, ſtatione deſerta, intolerando dolore Sanctis viris relicto. Veruntamem illorum preces Dominus irritas eſſe non eſt paſſus. Etenim is, cui Martyrum fuerat commiſſa cuſtodia, quum in quodam ſe balneo propinquo calefaceret, rerum attendebat eventum, eos milites, qui ad ſe confugiſſent excepturus. Conſulto enim factum erat; ut balneum illud adeſſet propiùs, quod celerem opem jis, qui ſententiam mutarent, polliceretur. quod quidem adverſarii callidè, atque aſtutè excogitarant, ut ejuſmodi videlicet locum ad certamen invenirent, ubi præſens, paratumque ſolatium decertantium virtutem diſſolueret, & conſtan-

ſtantiam labefactaret. Id verò Martyrum patientiam maximè illuſtravit: neque enim eſt ille fortis, qui rebus caret neceſſariis, ſed qui in rerum copia, quæ ad fruendum proponuntur, ardua, & gravia fortiter, ac ſtrenuè tolerat. Atque illi quidem in eo certamine ita pugnabant: is verò rerum exitum obſervabat, quum ecce tibi novum, & admirandum ſpectaculum: aſpexit copias quaſdam è cœlo delapſas, eaſque militibus magna munera quaſi regis nomine diſtribuentes: qui cæteris quidem omnibus munera diviſerunt: unum verò duntaxat indonatum reliquerunt, quaſi cœleſtibus illum honoribus indignum eſſe cenſerent. Is laboribus illicò cedens, ad hoſtes defecit. Miſerandum juſtis illis viris profectò ſpectaculum: miles perfuga, veteranus captivus, Chriſti ovis ferarum præda: quodque eſt miſeratione majore dignum, & à cœleſti vita aberravit, neque hujus lucis uſura perfrui potuit: ſtatim ejus corpore in ipſo balnei veſtibulo diſſoluto: & quidem is vitæ amator inanis admiſſo ſcelere concidit. At lictor ubi eum vidit defeciſſe, & in balneum confu-

giſſe, ſe ipſum in ejus, qui diſceſſerat, locum ſuffecit, & abjectis veſtibus, nudus ſe adjunxit ſocium, eandem, quam ſancti viri vocem effundens: Chriſtianus ſum; atque ita repentina mutatione eos, qui aderant, in admirationem adducens, & numerum explevit, & conſolatus eſt ſui acceſſione dolorem, quem cæteri ex illius, qui ad mollitiem deflexerat, infirmitate perceperant: eos quippe milites imitatus, qui ubi in acie quiſpiam juxta anteriorem clypeum ceciderit, phalangem illicò explent, ne acies propter eum, qui defecit, interrumpatur. Is igitur tale quippiam fecit; vidit res cœleſtes admiratione digniſſimas, veritatem agnovit, confugit ad Dominum, in martyrum numerum relatus eſt. Diſcipulorum geſta renovata. Defecit Judas, Matthias ſuffectus eſt: factus eſt hic Pauli imitator; qui paulò ante fuerat perſequutor, hodie Evangelia prædicat: vocatus eſt ipſe quoque divinitùs, non ab hominibus, neque per homines: credidit in nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti: baptizatus eſt in eundem non ab alio, ſed ab ipſa fide ſua, non in aqua, ſed in ſangui-

ne

ne ſuo. Atque ita prima luce adhuc ſpirantes in ignem conjecti ſunt, & quæ ex igne reliquiæ fuerant in flumen projectæ: ut cum omni rerum creatarum genere Martyres decertarent. In terra prælia commiſerunt, aerem fortiter ſuperarunt, igni traditi ſunt, aqua ipſos excepit, Eorum eſt illa vox, Tranſivimus per ignem: & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Hi ſunt, qui noſtra hæc inter ſe loca diſtributa, regenda, ac defendenda ſuſceperunt, ac veluti quædam turres continentes, atque arces, ab hoſtium incurſu incolas tuentur, incolumeſque conſervant: neque ſe in unum abdidere locum; ſed jam locis plurimis peragratis, plurimas patrias exornarunt: &, quod eſt planè admirandum, non ſinguli diviſim migrant ad eos, à quibus excipiuntur, ſed inter ſe copulati, atque conjuncti proficiſcuntur. O rem admirabilem! nec numero addi quidpiam, neque detrahi patiuntur. Si eos vel in centum partes diſtribueris; ſuum ipſorum numerum non excedunt. Quod ſi in unum locum reduxeris, quadraginta item permanent, ut eſt ignis natura: is enim & ad eum, à quo ac-

cenditur, transit, & apud eum est totus, qui illum habet. Quadraginta itidem, & simul sunt universi, & cuncti sunt apud unumquemque. O beneficium eximium, ò munus inexhaustum, paratum Christianis præsidium, martyrum conventus, exercitus trophæa referentium, cœtus celebrantium Dominum; quantum elaborares, ut vel unum nanciscereris, qui pro te Domino supplicaret? Quadraginta sunt, qui uno ore preces fundunt. Ubi duo, vel tres sunt congregati in nomine Domini, ibi est in medio eorum. At ubi quadraginta: quis de divina præsentia dubitaverit? Qui rebus adversis premitur, ad quadraginta confugit; qui secundis lætatur, ad ipsos recurrit: ille ut molestiis levetur; hic ut meliora sibi conserventur. Hic religiosa, piaque fœmina fundendis percibus occupatur: conjugi peregrinanti reditum poscit, valetudinem ægrotanti. Cum Martyrum postulatis vestra jungantur; Juvenes æquales imitentur suos: patres talium esse filiorum parentes exoptent: matres ad prestantissimæ matris formam, atque speciem erudiantur. Unius enim ex beatis viris

ma-

mater, quum animadvertiſſet alios jam glacie confectos, ſuum verò filium adhuc ſpiritum pro virium robore, atque in rebus aſperis ferendis fortitudine ducentem, relictum à ſatellitibus, quaſi adhuc poſſet mutare conſilium, eum ſuis manibus elatum injecit in currum, in quem reliqui conjecti ad rogum convehebantur. Verè Martyris mater: non enim lacrymas abjectas, humileſque profudit; nihil humile, nihil tempore indignum pronunciavit; Sed abi ait, filii, & confice præclarum cum æqualibus, & commilitonibus iter: ne relinquaris in chorea: ne te poſt alios Domino ſiſtas. Omninò ex bona ſtirpe præclarum germen. Ad pietatem ſe filium optimis inſtitutis aluiſſe magis, quam lacte mater egregia comprobavit. Atque is quidem ita à pia matre inſtitutus, ita præmiſſus eſt. Diabolus verò receſſit rubore ſuffuſus: nam quum omnes in illos res creatas incitaſſet; omnia reperit virorum virtute fuiſſe ſuperata: noctem gravi, ac vehementi vento agitatam, patriam frigoris difficultatibus arduam, anni tempeſtatem, corporum nuditatem. O cho-

rum beatum, ò manipulum sacrosanctum, ò exercitum invictum; ò communes humani generis custodes, ò præclaros curarum socios, precationis adjutores, oratores efficacissimos, orbis terrarum astra, ecclesiarum flores! vos non terra contexit, sed cœlum recepit. Apertæ sunt vobis Paradisi portæ: spectaculum dignum Angelorum exercitu, dignum Patriarchis, Prophetis, Justis. Viri, qui in ipso juventutis flore vitam contempserunt; Deum plusquam parentes, plusquam liberos amaverunt: quum ætas ipsis spem summam vivendi afferebat, vitam florentem despexerunt, ut Deo in suis membris gloriam deferrent: spectaculum facti mundo, Angelis, & hominibus. Lapsos excitarunt, vacillantes confirmarunt, in piis, ac religiosis viris studium, ardoremque animi amplificarunt. Pro pietatis cultu, uno omnes erecto trophæo, una etiam justitiæ corona condecorati sunt, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria, & imperium in omnem æternitatem. Amen.



EIVSDEM SANCTI
BASILII
MAGNI
DE GRATIIS AGENDIS
ORATIO QUARTA.

Eodem Pomponio Brunello
Interprete.



Udiſtis Apoſtoli verba, quibus totam vitam inſtituens, Theſſalonicenſes alloquitur. Nam doctrina quidem ad eos pertinet, in quorum manus ubicumque incidat: utilitas verò, quæ inde manat, in hominum vitam redundat univerſam. *Semper*, inquit, *gaudete*: *ſine intermiſſione orate*: *in omnibus gratias agite*. Et quidem quid ſit gaudere, quid inde utili-

tatis exiſtat, qua ratione quis poſſit perpetuò in Deo precando perſiſtere, eidemque de rebus omnibus gratias agere; paulò poſt, pro viribus diſſeremus. Jam verò, quæ nobis certè ab adverſariis objiciuntur, qui hæc præcepta ſervari non poſſe calumniantur, ea priùs confutanda ſunt. Quæ enim tandem virtus eſt, inquiunt, dies, noctesque in animi relaxatione, ac voluptate traducere? qua id ratione fieri poteſt? quum ſexcentis malis obruamur vel inviti, quæ animum demittant, & contrahant neceſſe eſt; quibus longè difficilius eſt, ut quis oblectetur, & gaudeat, quam ut is non doleat, qui in ſartagine torreatur: aut is, qui ſtimulo fodiatur, non crucietur. Et fortaſsè eorum quiſpiam, qui hic adſunt, hujuſmodi cogitationum morbo laborans, excuſationes peccatorum prætexit: qui propter animi ſegnitiem ad ſervanda præcepta legiſlatorem accuſare conetur, quaſi ea præſcribentem, quæ ſuperent vires, ac dicat. Qui poſſum gaudere ſemper, quum gaudii cauſæ non in me ſitæ ſint? foris enim ſunt ea, quæ gaudium afferunt: neque inſunt in nobis:

ami-

amici, parentes, parentum diuturna congressio, fortunarum accessiones, honores ab hominibus delati, valetudo ex gravi morbo recuperata, reliqua vitæ prosperitas, domus bonis omnibus cumulata, mensa epulis referta, familiares, ac propinqui lætitiæ participes: quæ audiuntur, & spectantur jucunda, domesticorum valetudo, cæteraque hujus vitæ bona, quæ illis ad voluntatem fluant. Molestiam enim non solùm nobis afferunt ea, quæ nobis accidunt adversa, sed etiam quæ amicos, quæ affines conturbant. Quocircà ex iis rebus omnibus animi jucunditas, & lætitia confletur necesse est. Præter eà quum videre contigerit inimicorum casus adversos, insidiatorum plagas, ac vicissim benè de nobis meritis parem gratiam referri: & omninò, si neque molestum, & grave quippiam adsit, neque prorsùs impendeat, vitamque perturbet; tum fieri potest, ut in animo gaudium excitetur. Qua ratione igitur nobis imperatum est, quod non libera voluntate præstatur: sed ex aliis præeuntibus rebus consequitur? Quinam sine intermissione orabo: quum cor-

poris necessitates animi cogitationem ad se rapiant; neque fieri possit, ut mens in duas curas eodem tempore distrahatur? Quin etiam de rebus omnibus gratias agere jubeor. Agam ne gratias, si torquear? si diverberer? si extendar in rota? si oculi eruantur? si à malevolo ignominiosum vulnus infligatur? si gelu concrescam? fame enecer? si subitò sim liberis orbatus? aut etiam uxore ipsa caream? si ob naufragium repentè fortunis evertar? si in piratas in mari, si in latrones incidam in continente? si plagas accipiam? si calumniis opprimar? si victum precario quæritem? si detrudar in carcerem? Hæc, atque his etiam plura congerunt, qui legislatorem accusant: peccatorum defensionem sibi adornare existimantes, dum imperata, quasi fieri non queant, ita calumniantur. Quid ergò dicamus? Nempe quum aliud Apostolus agat, ac mentes nostras humi stratas in sublime conetur extollere, & ad cœlestem quandam vitæ rationem traducere: qui altam legislatoris mentem non assequuntur, quum in terra, & carne, ut in cœ-

no vermes, volutentur; in corporis perturbationibus exigunt Apoſtolicarum inſtitutionum facultatem. At is non quemcunq; ad aſſiduam lætitiam, ſed ſui ſimilem cohortatur, qui non in ſe ipſe vivat ampliùs, ſed qui in ſe habeat viventem Chriſtum: nempe illa cum ſummo bono conjunctio nullum ſenſum moleſtiarum corporis admittit. Sed quamvis dilanietur corpus, conjunctionis diſſolutio in ea remanet corporis parte, quæ patitur: quum nulla moleſtia poſſit ad vim ſuperiorem animi pervenire. Nam ſi membra noſtra, quæ ſunt ſuper terram, ut monet Apoſtolus, mortificamus, & mortificationem Jeſu in corpore circumferimus, neceſſe eſt, ut corpori mortuo vulnus inflictum, animum ab illius contagione liberum nulla ratione poſſit attingere. Porrò ignominiæ, damna, domeſticorum obitus, mentem non occupabunt; neque animi celſitudinem ad rerum caducarum ſenſum detorquebunt. Nam ſi idem, ac vir bonus, ſentiunt ii, qui incidunt in res adverſas, moleſtiam alteri non exhibebunt, qui ne ipſi quidem graviter ferant, quæ ſoleant ſibi ipſis ac-

cidere. Quod si secundum carnem vivant, ne ita quidem molestia viros bonos afficient: sed miserandi potiùs censebuntur, non tam ob calamitates, quam quòd boni viri non fungantur officio. Omninò animus, qui semel sui conditoris amore teneatur, & ejus ornamentis illustrari consueverit, suam lætitiam, ac tranquillitatem propter corporis varias perturbationes nihil immutabit: sed contra potiùs, res, quæ sunt aliis molestæ, accessionem suæ faciet alacritati: qualis erat Apostolus, qui sibi in infirmitatibus placebat, in ærumnis, in persecutionibus, in necessitatibus, qui suam egestatem materiam, segetemque gloriæ arbitrabatur: in fame, & siti, in frigore, & nuditate, in persecutionibus, & angustiis. Quum quæ cæteri iniquo animo ferunt, ac propterea vitam ipsam sibi acerbam putant, in iis ipse gestiret, & gaudio triumpharet. Qui ergò apostolicam sententiam non assequuntur, neq; intelligunt, nos ab eo ad vitam evangelicam vocari, ii Paulum accusare audent: quasi nobis ea præscribat, quæ fieri nullo modo possunt. Atqui discant justas lætan-

di

di caufas à divina nobis munificentia fuppeditari. Quum nihil effemus, editi fumus in lucem, ad conditoris imaginem procreati: mentis, rationifque compotes effecti: qua videlicet noftra natura perficitur, qua Deum agnofcimus, & rerum creatarum ornamenta fcitè comprehendimus, iis tanquam literis quibufdam eximiam Dei in rebus omnibus providentiam, ac fapientiam perdocemur, bonorum, ac malorum in nobis ineft internofcendi facultas: res nobis utiles, ac falutares eligendi rationem, noxiafque vitandi natura ipfa didicimus. Deum à nobis ob noftra fcelera abalienatum reconciliavimus, unici filii fanguine è turpi erepti fervitute. Noftra eft fpes revivifcendi; noftri angelicorum bonorum fructus, cœli regnum, promiffa nobis bona, quæ omnem fuperant mentis, orationifque facultatem. Cur non his rebus quæfo cenfendum eft perpetuæ cujufdam lætitiæ, atque alacritatis nobis præberi materiam? An verò quifpiam putet hominem abdomini fervientem, feque tibiarum, nervorumque concentu oblectantem, atque in molli ftertentem culcitra, jucun-

cundam, gaudioquè dignam vitam agere? Ego verò lugendum hisce potiùs dicerem, rectè sentientium judicio: beatos verò eos esse existimandos, qui spe futuræ æternitatis hanc vitam perferunt, & res permutant præsentes cum sempiternis. Etiamsi qui sunt cum Deo copulati in flammis degant, ut Babilone tres pueri, etiamsi cum leonibus coerceantut, etiamsi à cetis devorentur; eos & à nobis beatos prædicari, & iis ipsis lætandum esse confirmo; non rebus præsentibus dolentes: sed earum expectatione, ac spe, quæ sunt nobis in posterum propositæ gaudentes. Puto enim egregium pugilem, qui semel sit stadium pietatis ingressus, generosè adversariorum ictus perferre oportere, spe gloriæ se, quæ coronam sequitur, sustentantem. Etenim qui in certaminibus gymnicis antea sunt palęstræ laboribus assuefacti, plagarum doloribus non succumbunt, sed præconii, gloriæque studio capti, labores brevissimos aspernantur. Ita probo viro, etiamsi quid molesti contigerit, ejus tamen gaudio tenebræ non offundentur: quia scilicet ærumna patientiam parit, patientia pro-

probationem, probatio ſpem, ſpes autem non confundit. Quapropter etiam alibi moleſtiam ſuſtinere, ſpe gaudere ab eodem jubemur. Spes igitur boni viri animum perpetuo gaudio perfundit. At idem Apoſtolus nos etiam flere cum flentibus jubet, & quum ad Galatas ſcriberet, flebat ſuper inimicos crucis Chriſti. Quid proferam Jeremiam? quid Ezechielem dum principum lamentationes Dei juſſu conſcriberet? quid alios multos è ſanctis viris ejulantes? Hei mihi mater, cur me genuiſti? & Hei mihi, quòd vir pius de terra ſublatus eſt: & nemo eſt inter homines, qui rectè agat: & heu mihi, quia factus ſum ei perſimilis, qui meſſis tempore ſtipulas colligit. Denique voces juſtorum virorum perſcrutare; ſi cubi triſtiora verba proloquentes offenderis, perſuadeas tibi cunctos haſce res humanas, & fluxas, atque hujus vitæ miſerias deplorare. Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt: cupit enim diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Quare ut lætitiæ impedimentum quoddam produci ſibi hanc peregrinationem dolet. David

au-

autem nobis reliquit amici Jonathæ lamentationem etiam carmine comprehensam, quo carmine simul quoque inimici sui calamitatem deplorat. Doleo vicem tuam mi frater Jonatha. Et filiæ Jerusalem Saulem complorate. Hunc enim deflet, ut in peccatis mortuum: Jonatham verò, quòd cum eo semper cojunctissimè vixerit. Quid plura? Dominus ipse & Lazarum flevit, & super Jerusalem lacrymas fudit, & lugentes, ac flentes beatos prędicavit. Qua istæc ratione, dices, cum Apostoli dicto consentiunt? semper gaudete. Neque enim lacrymæ, & gaudium ex eodem fonte promanant. Illæ enim velut ex plaga quadam rei inopinatæ solent existere, quæ animum verberet, & contrahat; dum spiritus, qui est in præcordiis angitur, atque comprimitur. At gaudium quidam quasi saltus est animæ, quæ secundis exultet eventibus, è sententia succedentibus. Ergò his non eodem modo afficitur corpus: nam & mœrentibus pallidus, ac livens est color, & corpus ipsum refrigeratum. Exhilaratis verò, & gaudentibus efflorescit, ac rubore suffundi-

ditur corporis habitus: exiliente propemodum anima, ac prae voluptate foras erumpente. Ad hæc igitur dicimus, sanctorũ virorum querimonias, & lacrymas ex amore in Deum nasci solere. Quare semper in eum, quem diligunt intuentes, & inde sibi lætitiam cumulantes, conservorum rebus consulebant, dum delinquentes deflebant, eosque lacrymis corrigere conabantur. Ut enim qui in littore tuti consistunt, dum eorum, qui in mari demerguntur, casus miserantur; non propterea suam abjiciunt securitatem, quòd ipsi sunt de alieno periculo solliciti: ita ii, qui alienis delictis ingemiscunt, nihil suam imminuunt idcircò lætitiam, sed contra potiùs augent; quum pro lacrymis, quas pro fratribus fundunt, Domini gaudio dignentur. Propterea beati flentes, & beati qui lugent, quia ipsi solatio afficientur, & quia ridebunt. Risum porrò dicit, non eum strepitum, qui buccis, ebulliente sanguine, editur: sed syncẹram, atque omnis mœroris expertem hilaritatem. Flere igitur cum flentibus per Apostolum licet: quoniam hæ lacrymæ tanquam seminarium,

ac

ac fœnus quoddam ſunt gaudii ſempiterni. Aſcende mihi animo pauliſper in cœlum, & ſtatum illum angelicum contemplare; num alia eos deceat vitæ ratio, niſi gaudere, ac lætari ex animo: quoniam digni ſunt habiti, qui Deo aſſiſtant, & pro creatoris noſtri majeſtatis admirabili pulchritudine perfruantur. Ad illam igitur ut nos vitam incitaret Apoſtolus, nos gaudere juſſit aſſiduè. Veruntamen quod Lazarum, ac civitatem Dominus fleverit, illud poſſumus reſpondere, eundem etiam comediſſe, ac bibiſſe; non quòd his ipſe rebus indigeret: ſed ut nobis earum animi affectionum, quæ alioqui ſunt neceſſariæ, modum, fineſque ſtatueret. Itaque flevit, ut nimiam eorum, qui ſe lacrymis, lamentiſque totos tradere ſolent, abjectionem corrigeret. Nam ſi quicquam aliud; lacrymæ certè moderatione indigent, quæ à ratione proficiſcatur: quibus in rebus videlicet eas adhiberi, quamdiu, quando, & quomodo conveniat. Neque enim Chriſti lacrymas ex perturbatione manaſſe, ſed ad nos docendos profuſas, ex iis verbis liquet: *Lazarus amicus noſter dormit:*

ſed

sed vado ut excitem eum. Ecquis vestrum deplorat amicum dormientem, quem paulò post experrectuturum speret? Lazare veni foras, mortuus extemplo revixit: vinctus ambulavit. Quot in uno miraculo miracula? Vinculis pedes implicitos, nec incedere prohiberi: plus videlicet poterat robur vincti, quam vincula. Qua ratione igitur, qui hæc erat patraturus, rem lacrymis dignam, quæ acciderat, judicabat? an scilicet, quia undique nostram suffulciens infirmitatem, necessarias hominis affectiones certis quibusdam moderationis terminis circumscripsit: dum, & immitem animum, atque ab omni prorsùs commiseratione alienum, tanquam ferinum vitavit, & mœrori, lamentisque deditum, ut abjectum, ac mollem recusavit. Quapropter amici mortem deflevit; ut & ipse communionem humanæ naturæ præseferret, & nos à vitiosa extremitate utrinque liberaret: ne in affectibus effœminati essemus; neve sensu omni doloris in rebus tristibus careremus. Ut igitur, & famem in se dominus admisit, dum solidum ipsi alimentum dissiparetur; & sitim ex-

expertus est, corporis humore consumpto; & lassitudinem sensit, musculis, ac nervis ex itinerum defatigatione distentis: non quòd divinitas laboraret: sed quòd corpus iis rebus, quæ naturam humanam comitantur, afficeretur; ita etiam lacrymas effudit: dum quod est naturale, corpori permisit accidere: quod tum demum evenit, quum cerebri concava referta vaporibus ex mœrore contractis, per oculorum meatus, veluti per fistulas quasdam, humoris illius onus extrudunt. Hinc sonitus quidam, vertigines, caligines auribus accidere solent in rebus tristibus, ac præter expectationem, vaporibus iis capite personante, quos vapores contractus in imo pectore calor ad superiora transmittit. Deinde, ut nebula in tenues guttas, ita opinor in lacrymas vaporum densitas illa dissoluitur. Hinc etiam voluptatem quandam mœrentes lugendo percipiunt, dum eis flendo discutitur onus, quo premebantur. Vera porrò hæc esse, quæ dicuntur, experientia comprobatur. Multos enim novimus, qui in summis calamitatibus tenere lacrymas summa vi

co-

conati ſunt: quorum deinde alii in morbos inſanabiles, apoplexiam videlicet, vel paralyſim inciderunt, alii etiam penitùs extincti ſunt; ipſorum videlicet virtute, velut infirmo adminiculo, mœroris pondere oppreſſa, atque diffracta. Quod enim in flamma videre licet, quæ ſuo ipſius fumo ſupprimitur; ſi quidem ille nullum exitum nactus circa ipſam volutetur: idem in ea facultate ajunt fieri, quæ animal regit, & continet: tabeſcere ſcilicet eam rebus triſtibus, & extingui; ſi nullum reperiat exitum reſpiratio. Ne igitur, qui mœrori nimis indulgent, ſuæ ſolatium ægritudini Domini lacrymas objiciăt. Ut enim Domini cibus, quo veſcebatur non eſt nobis voluptatis occaſio; ſed contra potiùs, præclariſſimum continentiæ, ac frugalitatis exemplum, quo paucis contenti eſſe diſcamus; ſic lacrymæ quoque non legem, ac licentiam immodicè lamentandi concedunt: ſed modum honeſtiſſimum, ac perfectam quandam nobis regulam proponunt, ex qua decet graviter, & honeſtè nos naturæ finibus continentes, res adverſas, moleſtaſque perferre. Non igitur

tur viris, non fœminis permittitur plus æquo lacrymis, ac lamentationibus indulgere: ſed modicè in rebus triſtibus ingemiſcere, & lacrymulam aliquam fundere: idque ſine ejulatu, non veſtem proſcindentem, neque ſe pulvere conſpergentem, neque aliquid adhibentem eorum, quæ ſolent ii, qui minus decenter, & moderatè ferunt res humanas; eum enim, qui divinis ſit inſtitutis expiatus, recta ratione, tanquam muro firmiſſimo, munitum eſſe oportet, ac fortiter, conſtanterque talium perturbationum impetum propulſare: non ut in humili aliquo, ac depreſſo loco ſubſidentem, abjecto, demiſſoque animo ægritudinum turbam influentem excipere. Animi eſt enim puſilli, nullamque habentis è ſpe divina firmitatem diſrumpi dolore, vel ſuccumbere rebus adverſis. Ut enim vermes in mollioribus maximè lignis gigni videmus: ita ægritudines in mollioribus animis innaſcuntur. Nunquid enim fuit corde Job adamantino? Nunquid ejus viſcera ex lapide conſtabant? Decem ei liberi temporis momento ceciderant, una ruina oppreſſi, in jucunditatis domo, quo
tem-

tempore cibum sumebant ædibus in eos decussis à diabolo. Vidit mensam cruore permistam: vidit liberos alios alio tempore in lucem editos, sed unum pariter omnes, eumdemque simul exitum vitæ sortitos. Non ejulavit; non comam vellit: non vocem ullam edidit indecoram: sed celebrem illam gratiarum actionem protulit, atque ab omnibus decantatam: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Numquid erat ab omni sensu doloris, & commiserationis alienus? Qui fieri potest? quum de se ipse dicat, ego deflevi quicumque rebus premebantur adversis, num fortè, quum hæc diceret, mentiebatur? Atqui dat ei veritas ipsa testimonium, præter ceteras virtutes, eum fuisse veracem. Homo enim erat, inquit, expers criminis, justus Dei cultor, verax. Tu verò canticis nescio quibus ad luctum data opera compositis luges, & flebili carmine animum excedere conaris. Atque ut proprium tragœdiarum est, tum scena, tum fictio, quibus rebus theatra captantur: ita decere arbitraris lugentem,

atram

atram in primis veſtem, comam ſqualentem, domum tenebricoſam, ſordes, pulverem, cantum lugubrem, qui recens ſemper doloris vulnus conſervet in animo. Sine illos hæc agere, qui ſpem non habent. Tu verò de iis, qui dormierunt in Chriſto illud accepiſti: *ſeminatur in corruptione, ſurget in incorruptione: ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute: ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale*. Quid igitur defles eum, qui exceſſit, ut veſtitum mutet? ne que te ipſum deplora, quaſi adiutore aliquo, & vitæ ſocio careas. *Melius enim eſt*, inquit, *ſperare in Domino, quam ſperare in homine*. Neque illum lugeas, quaſi gravia ſit perpeſſus: nam paulò poſt eum tuba cœleſtis excitabit, & cernes eum ad tribunal Chriſti conſiſtere. Mitte igitur iſtas abjectas voces, atque imperito homine dignas. Heu mala nec opinata. Quis hæc putaſſet eventura? Quando unquam terræ à me chariſſimum mihi caput mandatum iri ſperaſſem? Hæc enim ſi vel alium proloquentem audiremus: nos erubeſcere oporteret: quum, & memoria rerum præteritarum, & præſen-

ſentium uſu ipſo didicerimus, quæ ſint naturæ mala neceſſaria. Quare neque mors ullius immatura, neque ulli caſus inopinati poterunt nos pietatis ratione inſtructos conturbare. Erat (inquit ille) mihi filius adoleſcens, unicus vitæ ſucceſſor, ſolatium ſenectutis, generis decus, flos æqualium, domus firmamentum, erat ætate florentiſſima, ac venuſtiſſima: hic mihi ſubitò eſt ereptus, in terram, ac cinerem recidit: cujus paulò ante vox mihi erat multò jucundiſſima, cujus aſpectus erat genitori longè dulciſſimus. Quid igitur agam? diſcindam ne tunicam? humi volutabor? quiritabor? ſtomachabor? exhibebo me iis, qui adſunt, ut puerum quempiam, qui ob verbera vociferetur, & palpitet? an potiùs animadvertens eorum, quæ eveniunt, neceſſitatem, mortis legem eſſe inevitabilem, quæ nulli omninò ætati parcit, quæque omnia, quæ ſunt coagmentata, diſſolvit; nihil novi mihi arbitrabor accidiſſe: neque me ſinam de ſtatu mentis deturbari, tanquam inopinata plaga fractus, ac debilitatus: quippe qui ante didicerim me eſſe mortalem, atque adeò mortalem à me filium eſſe ſuſceptum: nihil

hil esse in rebus humanis stabile, nullamque possessionem solere in perpetuum permanere. Quin etiam urbes, & magnæ, & illustres tum splendore munitionum, tum incolarum potentia, tum reliqua rerum ad religionem, forumque spectantium copia præstantes, solis jam parietinis indicia veteris amplitudinis ostendunt. Et verò sæpè navigium è multis naufragiis ereptum, mari sexcenties celeri cursu enavigato, immenso vectigali mercatoribus comportato, uno deinde vēti impetu disjicitur. Exercitus quoque, qui secundis præliis sæpiùs hostes devicerunt, commutata deinde fortuna, miserandum spectaculum, sermonemque præbuerunt. Gentes universæ, atque insulæ, quæ magnam sibi potentiam aliquando pepererant, quam plurimis terra, marique trophæis excitatis, magnis divitiis ex præda collectis, vel temporis diuturnitate contritæ sunt, vel in hostium potestatem redactæ libertatem cum servitute commutarunt. Nullum denique, vel maximum malum intolerabile dixeris, cujus non superiores ætates exempla protulerint. Ut igitur pondera libræ momento dijudicamus,

&

& auri præstantiam lapidis attritu probamus: ita memoriam ad propositam nobis à domino legem, modumque revocantes, nusquam moderationis terminos excedemus. Quamobrem, ubi aliquid præter expectationem acciderit, primùm quidem solerti mentis provisione omnis est animi perturbatio propulsanda: deinde verò spe futurorum bonorum proposita, leviùs præsentia mala ferenda sunt. Nam ut ii, qui laborant ex oculis, à nimio splendore aciem avertunt, & in floribus, herbarumque viriditate conquiescunt: sic animum oportet non assiduè res tristes intueri, neque ad res præsentes, ac molestas adhærescere: sed mentis obtutum ad eorum contemplationem, quæ vera sunt bona, convertere. Ita tibi semper gaudere contigerit: siquidem perpetuò tibi Deus versetur ob oculos, & futuræ spes remunerationis vitæ hujus molestias sublevarit. Affectus es ignominia? Tu verò gloriam respice, quæ patientiæ tibi beneficio est in cœlo proposita. Es læsus injuria? cœlestes illas opes intuere, atque thesaurum, quem tibi præclaris actionibus con-

 didisti.

didiſti. Solo excidiſti? at cœleſtem Jeruſalem nactus es patriam. Filium amiſiſti? at Angelos habes, quibuſcum ad Dei ſolium choreas ages, & gaudio ſempiterno lætaberis. Ita ſi rebus triſtibus bona, quæ ſperantur, oppones; animi conſtantiam, ac tranquillitatem tenebis, ad quam nos lex Apoſtoli cohortatur. Quare neque ob rerum humanarum ſplendorem immodica lætitia tuus animus perfundatur, neque rebus triſtibus præter modum mentis celſitudo contrahatur, aut demittatur. Qui enim aliter in rebus humanis fuerit inſtitutus, nunquam vitam tranquillam, pacatamque traducet. Id porrò facilè conſequeris, ſi hoc præceptum tibi verſetur ob oculos, quod te, ut ſemper læteris, hortatur, ſi corporis vitioſas moleſtias repuleris, ſi animi gaudia conſectaberis, & rerum præſentium ſenſu neglecto, mentem ad ſpem ſempiternarum extuleris, quarum vel una cogitatio ſatis poteſt animum explere lætitia, & Angelorum in illum gaudia transfundere: Chriſti Jeſu Domini noſtri beneficio, cui gloria, & imperium in omnem æternitatem. Amen.



EJUSDEM SANCTI BASILII MAGNI IN SANCTAM IVLITTAM MARTYREM,

Et in ea, quæ reliqua fuere in proxima superiore Oratione

De Gratiis Agendis

ORATIO QUINTA.

Eodem Pomponio Brunello Interprete.



UO Beata Martyr præconio celebratur, eo concionis continetur argumentum. Etenim hodiernum vobis indiximus diem, quo magnum certamen

in memoriam revocetur: quod Julitta fœminarum Beatissima decertavit in muliebri corpore fortissimũ, quodque, & iis, qui tunc aderant spectaculum exhibuerit, & posteros, qui illud auditione acceperunt, in summam rapuerit admirationem. *Si tamen* est illa fœmina dicenda, quæ muliebris naturæ imbecillitatem magnitudine animi cohonestavit: à qua communem omnium nostrum adversarium existimo fuisse perculsum, non ferentem se à fœminis vinci: quem cùm magnifica illa verba superbè jactaret, seque orbem terrarum posse convellere gloriaretur, ac tanquam pullorum nidum arripere, & velut relicta ova subripere, urbesque universas evertere, apparet esse muliebri virtute superatum. Quam, quum ille tentationis tempore convincere conaretur, quasi præ naturæ infirmitate pietatem in Deum conservare omninò non posset, offendit, facto periculo, fortiorem, quàm natura pateretur, ac tanto magis ipsius terriculamenta deridentem, quanto magis iisdem ipse sperabat eam posse terreri. Nam quum ei cum quodam Civitatis Principe lis esset, homine a-

varo

varo, ac violento, qui sibi divitias ex rapina, & præda paraverat: qui multis terræ jugeris usurpatis, agris, oppidis, pecoribus, famulis, omnique supellectili, rerumque copia, quæ ad vitam pertinent, à fœmina ad se traductis, judicia calumniatoribus, falsis testibus munerum corruptelis fretus, occuparat. At ubi affuit domina; ubi præco diem dixit, & patroni præsto fuerunt ad causam dicendam parati: quumque illa hominis tyrannidem cœpisset ostendere, rationemque veteris possessionis docere; temporis diuturnitatem, quo dominium firmaretur, ostendere: deinde vim sibi ab homine allatam, & avaritiam deplorare; accedens hic negavit legitimum esse judicium, aut litem admittendam, neque enim fas esse eos rerum communium esse participes, qui Regum Deos non colant, quique Christi religionem, fidemque non deferant. Rectè is monere, ac necessaria proponere judici videbatur. Extemplò thus, & focus affertur, & condicio litigantibus proponitur; ut siquidem illa Christum neget, legibus, & earum emolumentis perfruatur: at si fidem retineat,

neque judiciorum ſit particeps, neque legum, neque ullius jure Reipublicæ gaudeat: quippe quæ illorum, qui tum rerum potirentur lege, ignominiis mulctaretur. Quid hic illa? Num eſt divitiis delinita? Num quod erat utile ob eum, à quo violabatur injuria, contentioſè deſpexit? Num periculo territa eſt, quod ſibi à judicibus imminebat? Minimè verò; at pereant (inquit) facultates: abeant pecuniæ: ne corpus quidem mihi relinquatur, priùs quam vocem impiam proferam in Deum, qui me procreavit. Ergò quo vehementiùs cernebat præfectum hac oratione efferari, & acerbiore in ſe ira excandeſcere; eo majores Deo agebat gratias; quòd quum de perituris opibus diſceptaret, bonorum ſibi cœleſtium poſſeſſionem conſervari cerneret: terra privari, ut cœlum poſſideret: ignominia condemnari, ut gloriæ corona dignaretur: corpus cædi, vitaque brevi ſpoliari, ut ſpe beata potiretur, & cum ſanctis omnibus æterni regni gaudio frueretur. Quumque identidem rogaretur, illa verò eadem ſæpiùs iterare, Chriſtique ſe ancillam dicere, eos, qui

ſe

ſe ad defectionem ſolicitarent, exe-crari. Tum verò iniquus judex non modo bona eripuit, quibus injuria fuerat, & contra leges orbata; ſed etiam morte, ut putavit, ignis ſupplicio in eam conſtituto mulctavit; Illa verò ad nullas unquam hujus vitæ delicias ita properavit, ut ad illam flammam acceſſit: ut vultu, habitu, verbis, efflorefcente quadam hilaritate, animi lætitiam declararet: & eas, quæ tunc aderant fœminas hortaretur, ut ne, laboribus pietatis cauſa ſuſceptis, emollirentur: neque imbecillitatem naturæ prætexerent: ex eadem, ajebat, maſſa, ex qua viri, nos ſumus; ad imaginem Dei factæ ſumus ut illi: virtutis capaces æquè ac mares ſunt fœminæ à conditore procreatæ. Quid? nonne virorum ſumus omninò cognatæ? neque enim ſola caro ex viro, ſed os etiam ex oſſibus ad mulieris opificium ſumptum eſt. Quare firmitudo, robur, conſtantia, patientia non minus à nobis Domino, quam à viris debetur. His dictis in rogum inſiluit. Is verò Sanctiſſimæ fœminæ corpus excipiens, quaſi quidam lucidus thalamus animam quidem in cœleſtem

illam regionem, atque illam dignam requiem transmisit: pretiosum verò corpus iis, ad quos pertinebat, integrum, syncerumque servavit, quod in pulcherrimo Urbis monimento conditum, & locum ipsum efficit sanctum, & eos, qui illò convenerint. At felix terra illa, quæ beatam hanc fœminam excepit hospitio, aquæ genus quoddam gratissimum è suis visceribus protulit, ut martyr totius civitatis mater effecta, cives omnes tanquam communi quodam lacte aleret, ac sustentaret. Hoc præsidio utuntur, qui valent: his deliciis, qui temperanter oblectari cupiunt: hoc solatio, qui ægrotant; quippe Elisæi beneficium divinitùs Hiericuntiis datum, hæc martyr in nos renovatum contulit, cum salsam aquarum naturam, quæ in iis locis nascuntur, in dulcem, ac mollem, benedictionis ope commutavit. Nolite viri pati vos pietate videri fœminis inferiores: nolite fœminæ ab hoc exemplo recedere: verùm sine ulla tergiversatione pietatem retinete; quum re ipsa experiamini nusquam vobis esse naturæ infirmitatem ad res honestas impedimento. Mul-

ta

ta me de martyre dicere volentem, hesterna nobis oratio inchoata non sinit in his versari diutiùs. Sic enim sum natura, ut res imperfectas non facilè feram. Nam & imago res est visu minus jucunda, quæ dimidiatam habeat imitationem. Inutilis est peregrinationis labor, nisi viator ad propositum terminum, constitutosque fines salvus, incolumisque pervenerit. Et qui in venatione parum abfuit, quin feram ceperit, par est ei, qui nihil cepit: & in stadio currentes uno persæpè gradu superati, præmio caruerunt. Ergò nos quoque quum hesterna die Apostoli verba, memoria repeteremus, & speraremus paucis nos eorum sententiam persequi posse, multo plura esse à nobis prætermissa, quam ea, quæ diximus, compertum est. Quare quæ omissa sunt, necessariò nobis persolvenda esse censemus. Illud igitur ab Apostolo dicebatur. *Semper gaudete; sine intermissione orate; in omnibus gratias agite*. Ac semper quidem esse gratias agendas, etsi pro argumenti dignitate non satis, pro nostra certè parte satis hesterna die dictum est. Utrum verò sit perpetuò

tuò numen orandum, an imperatum nobis id ſit ſupra vires, & vos parati eſtis à nobis exigere, & ego pro viribus ſententiæ hujus patrocinium, defenſionemque ſuſtinebo. Precatio nihil eſt aliud, niſi id, quod rectè à religioſis hominibus rogatur Deus. Poſtulatum verò non verbis omninò definimus. Neque enim Deum verbis admonendum eſſe cenſemus: ſed quæ ſunt utilia, etiam nobis non petentibus, noſſe. Quid igitur affirmamus? nimirùm non ſyllabis precandi munus explendum, ſed inſtituto potiùs, animique propoſito, & honeſtis actionibus, quæ cum omni vita coæquentur, precandi officium exequendum: ſive enim editis, ſive bibitis, ſive quid aliud facitis, omnia in Dei gloriam facite. Dum aſſides ad menſam, precare. Dum panem apponis, ei, qui dedit, gratias age. Dum vino imbecillitatem corporis fulcis, memento ejus, qui tibi id muneris præbuit ad animum exhilarandum, & ad corporis ægritudines leniendas. Ciborum uſus præteriit? memoria quidem certè optimè de te meriti ne prætereat. Dum tunicam induis, largitori gra-
tias

tias age. Dum amiciris toga, tuus erga eum amor augeatur, qui tum hiberno tempore, tũ æſtivo peropportuna nobis indumenta ſuppeditat, quę & vitam noſtram tueantur, & ſimul deformitatem tegant. Tibi conſumptus eſt dies, illi gratulare, qui & Solem ad munera divina exequenda, & ignem ad noctem illuſtrandam, atque ad reliquos uſus humanæ vitæ conceſſit. Nox porrò tibi nova precandi numinis argumenta ſubjiciat. Quum cœlum ſuſpicis, & in ſyderum pulchritudinem intueris, rerum aſpectabilium dominum roga, & optimum hujus univerſitatis opificem Deum venerare, qui cuncta ſapienter effecit. Quum animalium genus univerſum ſomno correptum videris, rursùs eum adora, qui ne cogitantes quidem nos à continentibus laboribus ſomni beneficio eripit, & modica ceſſatione interpoſita, rursùs ad vigorem priſtinum revocat. Ne ſit igitur nox tota quaſi pars propria ſomno prorsùs addicta, neque dimidiam vitam inutilem ſomni ſtupore labi patiaris; ſed nocturnum tibi tempus, tum in quietem, tum in preces dividatur. Quin & ſomni quies

ipſa

ipſa ſit exercitatio pietatis. Etenim neſcio quomodo ita natura comparatum eſt, ut ſpectra, quæ ſecundum quietem contingunt, extremi quidam ferè ſint curarum diuturnarum ſoni. Ut enim vitæ noſtræ ſtudia, curæque ſe habent, ita ſomnia ferè neceſſariò conſequuntur. Hac ratione perpetuò divinum numen oraveris; ſi non tam verbo precationem pertexas, quam perpetuò vitæ tenore te ipſum Deo conjungas: ut vita tua ſit aſſidua ſine ulla interruptione precatio. *Verum & in omnibus*, inquit, *gratias agite*. Id verò, dicat quiſpiam, qui fieri poteſt? nempe ut animus calamitatibus preſſus, ac rerum moleſtarum ſenſu veluti confoſſus, in queſtus, ac lacrymas non prorumpat, ſed pro iis, non ſecus ac ſi eſſent lætæ, ac ſecundæ, quum revera ſint adverſæ, ac deteſtabiles, gratias agat? Qui enim poſſim pro maledictis, & contumeliis, quibus me accepi ab inimico proſciſſum, gratias agere? Infans intempeſtiva morte ſublatus eſt, & angores prioribus partus doloribus acriores matrem ob chariſſimi filij interitum vulnerat. Qua ratione, omiſſis queſtibus

bus voces gratulationis plenas uſurpet ? qua ratione ? ſi cogitet filij ex ipſa geniti magis proprium eſſe parentem Deum, ac prudentiorem præſidem, vitæque adminiſtratorem. Cur ergò non ſinimus eaſdem poſſeſſiones arbitratu ſuo prudentem dominum adminiſtrare ? Cur tanquam rebus noſtris orbemur, graviter angimur ? Cur mortuos, quaſi affectos injuria, miſeremur ? Tu verò tecum illud reputa non interiiſſe filium, ſed domino redditum: amicum non eſſe mortuum, ſed emigraſſe, & aliquantulum in eo itinere præiviſſe, quod nobis quoque eſt paulò poſt neceſſariò ſuſcipiendum. Eſto tibi Dei præceptum familiare, quod veluti lumen, ac ſplendorem quendam ad res internoſcendas, ac diſpiciendas præbebit aſſiduè: quod vel procul animi tui occupato præſidio, & veras de ſingulis rebus inſerens opiniones, nulla prorsùs earum rerum, quæ eveniunt, auferri te ſinet: ſed ita præparatum ad omnes eventus animum, tanquam ſcopulum mari proximum adverſus vim ventorum, ac fluctuum, ſtabilem, atque immotum efficiet. Cur enim non antea

de

de mortali mortalia cogitare consuevisti: sed inopinatus tibi filij obitus accidit, & præter expectationem? Quum primùm tibi filium natum esse nunciatum est; si quis ex te quæsisset, quale tandem esset illud, quod natum erat; quid, oro te, respondisses, nisi hominem? quod si homo, idem quoque mortalis: quid igitur novum, quid inopinatum, emori mortalem? Nonne Solem vides orientem, & occumbentem? Nonne Lunam modò crescentem, modò decrescentem, Nonne terram germinare, deinde tabescere? Quid tandem stabile apud nos, ac diuturnum? quid est in rerum natura mutationis, ac vicissitudinis expers? Suspice cœlum; terram intuere: ne ista quidem perpetuò durant. *Nam cœlum*, inquit, *ac terra præteribit, stellæ de cœlo cadent: Sol obscurabitur: Luna non dabit splendorem suum*. Quid igitur mirum, si nos quoque, qui pars mundi aliqua sumus, ea, quæ oriuntur ex mundo, sortiamur? Hæc spectans, quum aliquid eorum tibi obtigerit, quæ sunt cum cæteris omnibus communia, perfer tacitus, non dico sine ullo sensu doloris (quod
enim

enim ſtuporis eſt præmium ?) ſed quamvis ærumnis ſexcentis affectus, perfer tamen, ut generoſus athleta, qui vim, ac fortitudinem præſeferat, non modò adverſariis cædendis, verùm etiam plagis fortiter perferendis: ac tanquam ſapiens, & imperterritus gubernator, qui pro ſumma navigandi peritia, rectum, quique mergi nequeat animum conſervet, atque omni tempeſtate ſuperiorem. Chariſſimi filij privatio, aut uxoris dulciſſimæ, aut amiciſſimi cujuſque, vel eximia quadam benevolentia conjunctiſſimi, nihil grave affert ei, qui id multo ante providerit: quique rationem rectam vitæ ducem ſequatur, non conſuetudine quadam rerum ſuarum ſtatum metiri velit. Etenim à conſuetudine ſejungi, vel multis ipſis animantibus eſſe ſolet intolerabile. Equidem vidi aliquando bovem ſuo ſocio, & ejuſdem jugi conſorti vita functo illacrymantem. Cætera quoque rationis expertia videre licet vehementer ad conſuetudinem adhæreſcere. Et ſanè amicitiam initio, ex longo uſu, ac diuturna conſuetudine conciliari, non eſt abſurdum. At ſepara-

ra-

rationem lacrymis prosequi ejus, qui cum diuturna intercesserit consuetudo, est prorsùs alienum. Uxorem exempli gratia nactus eras ad vitæ societatem, omnia tibi oblectamenta suppeditantem; quippe quæ animi tranquillitatem, ac jucunditatem conciliaret, rem familiarem augeret, in adversis magnam angoris, ac molestiæ partem averteret: ea jam tibi subitò eripitur. Noli ita commoveri, ut immanior factus esse videaris: neque dicas casu res geri, quasi mundi administrationi nemo præsit. Noli improbum quempiam opificem fingere; noli ex immoderato mœrore comminisci depravatas opiniones: noli pietatis egredi fines. Nam quoniam duo in una carne fuistis, venia quidem danda est ei, qui divisionem, conjunctionisque diremptionem non sine dolore suscipit: non tamen idcircò tibi aut sentire quicquam, quod minus deceat expedit, aut proloqui. Cogita enim Deum, qui nos condidit, atque animavit, suum cuique dedisse vitæ traducendæ modum, atque alios aliis constituisse terminos emigrandi. Alii enim diuturnius vitæ

tem-

tempus tribuit: alium celeriùs corporis vinculis exolvendum decrevit: prout inexplicabiles ejus, vel ſapientiæ rationes, vel juſtitiæ poſtulabant. Ut enim qui in carcerem inciderunt, alii diutiùs illa cuſtodię vexatione concluduntur, alii moleſtia citiùs eruuntur: ita ex hominibus alii ad longiſſimum tempus in vita retinentur, alii ad breviùs, pro cujuſque dignitate, ſapienter, & occulto quodam, arcanoque conſilio, quodque nulla mens hominum aſſequatur; providente, quæ ad unumquemque pertinent, noſtrum omnium procreatore. An non audis Davidem, quum dicit; *Educ de cuſtodia*, de moleſtiis videlicet, & ærumnis, *animam meam*? An non illa de ſancto viro audis? *abſoluta eſt anima illius*. Quid Simeon, quando omnium noſtrum Dominum ulnis excepit, quam tandem emiſit vocem? nonne illam? *Nunc dimittis ſervum tuum Domine*: Nam ad cœleſte illud domicilium properanti hæc in corpore commoratio quovis gravior eſt carcere, atque ſupplicio. Ne igitur velis, ut quæ de hominum vita ſunt conſtituta, ad tuum arbitrium, ac voluptatem accommodentur:

tur:

tur : verùm qui dum viverent aliqua inter se necessitudine fuere conjuncti, quique dein morte sunt accedente distracti, eos viatoribus unum, atque idem iter conficientibus existima esse persimiles, qui ob assiduam inter se consuetudinem conjuncti sunt : qui ubi communi confecta via in itineris divortio, quum iis est necessariò digrediendum, non propterea consuetudini adhærescunt, vel institutum iter negligunt : sed ejus causæ memores, quæ ipsos initio ad illud iter impulit suscipiendum, ad suum quisque viæ terminum contendit. Ut igitur illis alia fuit initio itineris ratio, atque consilium : sed ex viæ consuetudine est inter eos contracta familiaritas ; ita etiam iis, qui aut matrimonii sunt, aut alia quapiam vitæ societate copulati, proprium est videlicet vitæ propositum ; verùm deinde conjunctionem illam vivendi terminus diremit, atque dissolvit. Est igitur grati animi diremptionem non molestè ferre, sed ei gratiam habere, qui ipsos conjunxit initio. Tu verò æquè quum aderat conjux, sive amicus, sive quicquid illud sit, quod

jam

jam luges, gratiam pro iis, quæ aderant, ei, qui dederat, non habebas: ac de iis querebaris, quæ tibi deerant, quod si uxor sola obtigerat, dolebas liberos non adesse, quos velles: qui si aderant, te non divitiis circumfluere, aut etiam inimicos nescio quos cernere fortunatos. Vide igitur, ne fortè ipsi nobis necessarias rerum charissimarum orbitates accersamus; siquidem neque illas agnoscimus, quum adsunt, & recedentes pertinaciter amplexamur. Nam, quoniam gratias pro Dei præsentibus beneficiis minus agimus, sensum verberet eorum privatio necesse est. Ut enim oculi non cernunt, quod ipsis propiùs æquo admovetur, sed certum quoddam intervallum desiderant; ita etiam ingrati animi, bonorum jactura, præteritum beneficium videntur agnoscere. Quando enim Dei beneficiis fruebantur, danti non referebant accepta; ea, carendo, celebrare, ac prædicare condiscunt. At neminem nostrum ulla calamitas gratias agere prohibet; si quidem grato animo velit unumquodque perpendere. Multas enim cujusque nostrum vita contemplationes ha-

habet, easque non injucundas. Quocircà si ea, quæ contigerint, attentiùs aspicere voluerimus; licebit iis, quibus potimur bonis, cum deterioribus conferendis, quanti sint facienda, cognoscere. Servus es? habes te alium viliorem: quod uni præstas, gratias age: quod non ad pristinum damnatus es, quod non plagis afficeris. Non deerit ne huic quidem gratias agendi materia, non enim compedibus tenetur, non cippo constringitur. Vinctus vitam retinet, idoneam videlicet grati animi caussam; solem cernit, spiritum ducit. De hisce rebus gratias agat. Immeritò mulctaris? rerum spes te futurarum consoletur. Jure damnaris? Ita quoque gratias age, quòd hic luis facinorum pœnas; non pro delictis momentaneis æterno supplicio reservaris. Eadem proinde ratione in omni vita, atque in cunctis muneribus vir gratus potest benignissimo domino magnas de præsentibus beneficiis gratias agere. Jam verò plerique sunt ita morosi, ut præsentia spernentes, absentia concupiscant, neque enim eos, qui infra se sunt positi recensentes, de his rebus, quas

ha

habent, gratias divinæ benignitati persolvunt: sed se cum ditioribus, ac beatioribus conferentes; ut si suis rebus orbentur, de iis, quæ aliis adsunt ita queruntur, ac mœrent. Servus non esse se liberum iniquo animo patitur. Qui semper in libertate vixit, se non esse honesto loco natum, neque nobili genere, neque septem posse avos deinceps numerare, qui opes in equorum educatoribus, gladiatoribusve consumpserint. Qui claro est ortus genere; quòd non est divitiis locuples ægrè fert. Dives, quòd non civitatibus, ac gentibus imperet, dolet, atque angitur, Dux exercitus, quia non potitur imperio. Imperator, quòd quicquid Solis radiis appellitur, suæ ditioni non paret: quòd gentes aliquæ non sint suo sceptro subjectæ. Ex quibus omnibus conficitur, neminem gratum erga Deum benignissimum reperiri. At nos earum rerum, quibus caremus, mœrore deposito, gratias agere de iis, quæ habemus aliquando discamus. In tristiore quidem rerum statu ita sapientem medicum compellemus. In ærumna exigua, disciplina tua nobis adest. Di-

camus

camus: *Bonum mihi, quia humiliasti me*. Dicamus: *non ex æquo respondent, quæ hoc tempore patimur, futuræ gloriæ, quæ detegetur in nobis*. Dicamus. *Pro iis, quæ deliquimus, paucis vapulamus*. Dominum imploremus. *Corripe nos Domine, veruntamen in judicio, non in furore, dum enim castigamur, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*. In rebus verò prosperis illam Davidis vocem proferamus. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Quum non essem, effecit, ut essem, ratione ornavit: artes nobis ad subsidium vitæ concessit: alimenta profert è terra: pecudum nobis ministerium dedit: nostra causa imbres, nostra causa Sol, montana, campestria, nostra causa vestiuntur, quæ nobis aditum ad montium cacumen aperiunt, flumina nostra causa fluunt; nostra causa fontes erumpunt: mare nobis ad mercaturam sternitur: metallorum opes: oblectamenta nobis undique colliguntur, dum cunctæ res creatæ suam nobis operam, pro summa erga nos Dei benignitate, ac munificentia, navant. Sed quid ego exi-

exigua persequor ? nostra causa inter homines Deus, propter corruptam carnem, *Verbum caro factum est*, *& habitavit in nobis*, cum ingratis beneficus, ad captivos liberator: adjacentes in tenebris Sol justitiæ: in crucem qui pati non poterat: ad mortem vita: splendor ad inferos: resurrectio propter lapsos, spiritus adoptionis, donorum distributiones, coronarum denuntiationes: cætera, quæ ne recensere quidem est facile: in quæ omnia prophetæ vox convenit. *Quidnam Domino retribuamus pro omnibus, quæ retribuit nobis* ? etenim vel hoc ipsum dedisse non dicitur munificentissimus Deus, sed reddidisse. Quasi verò non ipse prior beneficia dederit, sed compensarit accepta. Grati enim animi officium adscribitur benificentiæ: qui & quum pecunias tribuit; eleemosynam te per manus pauperum poscit: & licet sua recipiat, integram tamen pro suis rebus gratiam refert. *Quid igitur Domino retribuemus pro omnibus, quæ retribuit nobis* ? neque enim vocem vatis omittam: qui rectè dubitabat, & suam egestatem circumspiciebat: quippe qui nihil ha-

beret, quo parem gratiam referet ei, qui præter maxima, atque amplissima beneficia, quibus hic nos affecit, multis partibus plura, & majora nobis pollicetur in posterum: Paradisi delicias, regni gloriam, honores Angelicis pares, Dei conspectum: quod quidem iis, qui eo dignati fuerint, summum est bonorum omnium: quod ratione prædita natura expetit universa: quod nos etiam consequemur, pravis corporis cupiditatibus expiati. Sed qua tandem ratione, dicet quispiam, humanitatem, ac benevolentiam, quod primum est, ac perfectissimum bonum (nam plenitudo legis est dilectio) erga proximum exhibeamus? siquidem quosdam magnis affectos calamitatibus adeuntibus nobis non modò cum iis non sit flendum, neque lacrymandum; sed etiam gratiæ agendæ Deo de rebus adversis, quæ ipsis evenere? Suam enim ipsius calamitatem Deo gratulantem ferre, patientiam, tolerantiamque declarat: at pro alienis calamitatibus Deo gratias agere; hominis est alienis malis gaudentis, & mœrentes irritantis: præsertim quum Deus nos, ut

flea-

fleamus cum flentibus, adhortetur. Quid igitur ad hæc respondeamus? An rursus necessariò nobis ipsi Domini verba subjiciemus, de quibus nam rebus gaudere, de quibus lugere jubeamur? *Gaudete*, inquit, *& exultate; quia merces vestra multa est in cœlo*: & rursùs, *filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super liberos vestros flete*. Quapropter, ut cum probis viris lætemur, & exultemus, oracula divina permittunt: contra verò simul cum iis, qui peccatorum dolore lacrymas fundunt, lugere, ac plorare nos jubent, aut eos deplorare, qui omni sensu doloris carent; quòd ne rationem quidem sui interitus noverint. At qui de hominum obitu immoderatiùs flendo cum lugentibus vociferatur, eum non est existimandum parere præcepto. Neque enim medicum probo, qui non modò laborantibus non opem ferat, sed ipse sibi morbos adsciscat; neque gubernatorem, qui quum oporteat eum nautis imperare, ventis obsistere, procellas vitare, timidiores confirmare, ipse tum nauseet, tum animum una cum iis, qui sunt imperiti na-

vigandi despondeat. Talis est is, qui dolore oppressos adit, neque ullum suo sermone iis affert emolumentum: sed ex alienis potiùs perturbationibus dedecus contrahit. Quare consentaneum quidem est, mœrore te aliquo affici ob eorum calamitates, qui in dolore versantur. Ita enim te ipse iis, qui affligantur, similem reddis, dùm te neque rebus adversis hilarem præbes, neque ab alienis calamitatibus alienum. Non tamen præter modum efferri dolore cum ipsis decet, qui mœrore contabescunt, neque cum eo vociferari, ac lamentari, aut in rebus alienis eum, cui ægritudo tenebras offuderit, imitari: ut si te domi contineas, atris una cum illo vestibus utaris, humi sedeas, comam negligas. Ita enim calamitatem potiùs illius, ac dolorem augeas, quam lenias. Nonne vides, ut tubera, lienisque tumores si vulneribus, aut febribus accedant dolores augeant: lenis verò manuum contrectatio mitiget? Quocircà tu quoque cave, ne ægritudinem tua præsentia exulceres, neve una cum eo, qui corruit, consterneris. Qui enim jacentem erigit, excelsior

col-

collapſo ſit neceſſe eſt. Atqui, æquè atque alter concidit, altero ipſe quoque indiget, à quo erigatur. Veruntamen tangi quidem aliquo ſenſu doloris ob ea, quæ contigerunt, & placidè rebus triſtibus dolere par eſt: oris habitu, & gravitate, quæ dignitatem habeat, affectionem animi præſeferentem: cum verò, qui loquitur, non illicò invehi oportet increpando, quaſi inſultantem, & in jacentes irruentem. Graves enim ſunt animo mœrore oppreſſo reprehenſiones. Et ſimul ægrè à laborantibus excipiuntur, & oratio omni prorsùs affectione vacantium, minimè eſt ad perſuadendum accommodata. Verùm, ſinendo eum inaniter, fruſtràque vociferari, ac deplorare; ubi jam ſe fregerit ægritudo; tum demum accuratè, ac leniter decet ad conſolandum accedere. Nam etiam equorum domitores, pullos indomitos non illicò habenis cohibere, comprimereque conantur, quod ſi facerent; eos mordere frenum docerent, & aſcenſores excutere. Verùm cedentes initio, & unà cum eis ruentes, ubi eos vident ſuo ipſorum impetu, ac violentia furorem exſaturaſ-

se, tum verò edomitos, ac fessos excipiunt, & suo artificio condocefaciunt, ut habenis obtemperent. Ita quoque illud Salomonis usu veniet. *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii*. Siquidem scitè, ac leniter quis oratione utens, suam laboranti sanitatem impertiat, non alienæ ipse fiat ægritudinis tanquam lippitudinis particeps. Flere ergò cum flentibus. Quum videris fratrem ex delictorum dolore plorantem, plora tu quoque cum illo, atque illius vicem dole. Ita enim tibi in alienis morbis tuum corrigere licebit, qui enim pro sui proximi scelere vim lacrymarum profundit, iisdem lacrymis facit sibi ipsi medicinam, quibus fratrem deflet. Hujusmodi erat, qui dicebat: *defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam*. Pro delicto fleas: hoc morbus est animi, hoc animis immortalibus mortem affert: hoc fletu dignissimum, lacrymisque perpetuis. Propter hoc omnes lacrymæ profundantur; neque gemitus unquam deficiat ex ipsis visceribus, medullisque depromptus. Deflebat Paulus inimicos crucis Christi:

ſti: Hieremias eos, qui de populo perierant: qui naturali lacryma non contentus lacrymarum fontem requirebat, remotiſſimamque ſolitudinem. *Et ſedebo*, inquit, *& pereuntem hunc populum deflebo dies plurimos*. Hujus generis lacrymas, hujuſmodi dolorem, ac fletum noſtra commendat oratio: non illam in quamcunque moleſtiam propenſionem, eamque animi affectionem, qua quis quavis de cauſa in lamentationes prorumpat. Jam verò quoſdam ipſe vidi ex voluptatis amatoribus, præ nimia intemperantia ad crapulam, & ebrietatem, per ſpeciem ægritudinis converti, ſuamque incontinentiam Salomonis verbis tueri conantes, quum ait: *date vinum mærentibus*. At proverbium illud non ebrietatis licentiam, ſed humanæ vitæ auxilium præbet. Nam, ut ænigmatis vim Salomonis omittam, qui ſpiritalem lætitiam eo loco ſignificat; ne prompta quidem, & aperta ſententia, exiguam habet utilitatem: ut ne ſcilicet vi doloris abſorpti alimenta negligant, qui gravi luctu oppreſſi, ægrè ſolatium admittunt. At enim pane cor lugentis

confirmatur; vino collapsæ vires, facultatesque fulciuntur. At vini amatores, ac temulenti, non ut ægritudinem leniant, sed ut malis mala compensent; mali videlicet mercatores, animorum morbos commutant morbis; atque illos, qui trutinæ momenta, & pondera exæquant, imitantes, tantum de mœrore subtrahunt, quantum accedit ad studium voluptatis. Equidem censeo vino opitulandum esse naturæ; neque tamen concedendum, ut meraciùs fundatur, & mentis consilia tenebris obruantur. Ita enim neque vino pelleretur ægritudo, & animo ebrietatis malum accederet. Quod si ægritudinis est medicus ratio; summum profectò sit malum ebrietas, quæ medicinam animi repellit, atque impedit. Verùm, quæ dicta sunt memoria complectere: atque intelliges, quàm sit lex Apostoli facilis, ac salutaris: qua ratione rectam semper sequutus rationem gaudeas: qua ratione Deo assiduè supplices: quo modo de rebus omnibus gratias agas: quo modo afflictos consoleris: ut ex his omnibus perfectus undique sis, & absolutus, Sancti Spiritus ope, & Jesu Chri-

Christi Domini nostri præsidio,
ac patrocinio, cui glo-
ria, & Imperium in
omnem æter-
nitatem.
Amen.





EJUSDEM SANCTI

BASILII
MAGNI
ARCHIEPISCOPI

Cæſareæ Cappadociæ

CONCIO SEXTA

Adverſus iracundos.

Eodem Pomponio Brunello interprete.



Uemadmodum quæ de corpore curando rectè præcipiuntur, tum demum ſalutaria eſſe cernimus, quum illis obtemperamus; ita quæ ſapienter de animi ſalute traduntur, quantam vim habeant ad vitam præclarè inſtituendam, atque ad eorum, qui ipſis paruerint animos ornandos, ac perficiendos, experientia ſolet oſtendere.

Qui

Qui enim, quod in proverbiis apertè dicitur, audimus, iracundia prudentes etiam depravari: qui cohortationes ipsius Apostoli legimus, omnis iracundia, & excandescentia, & clamor, atque omnis nequitia tollatur à vobis: qui Domini voces excipimus, dignum esse, qui in judicium vocetur, eum, qui temerè fratri succenset; si quando contigerit, ut perturbationis hujus impetum experiamur, non qui oriatur in nobis, sed qui tanquam procella quædam in nos improvisa extrinsecùs irruat; tum verò maximè admirabilem divinorum præceptorum sapientiam agnoscimus: quum & iracundiæ locum, non secus ac violento fluctui cedimus: & in otio discimus, quam sit illorum indecora commotio, qui hac perturbatione concitantur. Re enim ipsa intelligimus, quàm illud scitè dictum sit: *Ira percitus non honestus*; nam ubi semel, abjecto rationis imperio, principatum perturbatio ipsa mentis accepit, omninò efferare hominem solet, neque hominem esse patitur eum, qui sit rationis præsidio spoliatus. Quæ enim in venenatis animantibus virus

efficit, ea omnia fieri cernimus iracundia. Impetu feruntur, saltant, quasi canes rabie commoventur, tanquam scorpij subsiliunt, non secus atque angues mordent. Quin & in sacris etiam voluminibus, qui hac ægritudine laborant, belluarum nominibus, appellantur: quibus illi se per improbitatem similes effecerunt. Canes enim mutos, & serpentes viperarum fœtus, & alia illis horum similia nomina tribuuntur. Meritò enim homines, qui mutuam sibi perniciem, atque exitium parant, quique incommoda cæteris hominibus important, in ferarum, ac venenatorum animalium numero collocentur: quæ solent ab hominibus naturali quodam, atque implacabili odio diffidere. Ex iracundia lingua existit effrenata: hinc perdita ora, hinc manus impotentes, contumeliæ, probra, maledicta, plagæ, aliaque permulta, quæ ne percenseri quidem enumerando possent, ex eodem fonte iracundiæ manant. Ira ensis acuitur: ira homini mors manu hominis intentatur: propter iracundiam fratres à fratribus ignorantur, parentes, ac liberi naturam ipsam obli-
vis-

viſcuntur: ſe ipſi quidem in primis, deinde verò neceſſarios omnes, qui iraſcuntur, ignorant. Nam ut quum ad ima torrens aliquis fertur, multa cujuſque modi ſecum rapit; ſic ira incenſus, furenti, ac violento in omnes impetu ſimiliter irruit: Non ſenectutem verentur irati, non vitę, morumque integritatem, non propinquitatem generis: nihil apud eos accepta beneficia, nihil eorum valet, quæ habentur in pretio. Brevis quidam furor eſt ira: ſiquidem & ſe ipſi perſæpè ad interitum apertum præcipites agunt; quum ſuam ſalutem vindictæ ſtudio negligunt. Ut enim œſtro quodam, ſic eorum à quibus læſi ſunt, memoria concitati, animo palpitante, ac geſtiente, non ante deſiſtunt; quam aut ei, à quo ſunt laceſſiti, aliqua ratione noceant, aut etiam ab eodem, ſi ita res ferat, malè mulctentur. Nam & ea, quæ per vim diſrumpuntur, plus multo læduntur ſæpè, quam lædant: quum ab iis corporibus feriuntur, quæ & vim omnem repellunt, & nihil cedunt. Quis dicendo hujus vim ægritudinis conſequatur? quavis enim occaſione iracundi homines e-

xardescunt: vociferantur,& quavis fera venenata impudentiùs irruunt: nec ante desistunt, quam vel magno aliquo, & insanabili malo iracundiæ intumescentis, quasi quadam bulla disfracta, virus eruperit. Neque enim aut acies, gladii, aut ignis, aut aliud quippiam formidabile possit animum iracundiæ furore percitum cohibere: nihilo plus, quàm eos, qui sunt à malis dæmonibus occupati, à quibus nihil irati, neque habitu, ac figura corporis, neque affectione animi differunt. Qui enim ulciscendi sunt cupidi, iis non aliter sanguis in præcordiis feruet, ac si igni adhibito exæstuet. Ubi verò in faciem ille ardor invasit, ipsa quoque prorsùs immutatur: ut longè diversa, quam soleat, figura cernatur, & quasi persona imposita, non idem vultus, qui est à natura datus, appareat. Non enim iidem sunt oculi, qui esse solent, sed efferati, ignei, atque micantes. Dentes veluti sues, dum grassantur, exacuunt; vultu sunt livente, sanguineque suffuso, tumore corporis increbrescente, venæ propter spiritus agitationem, qui intus commovetur, pænè disrumpuntur. Vox aspera, at-

que

que contenta: sermo inconstans temerè funditur, inconditus, verbis nulla sæpè significatione subjecta. At simulatque iracundia, tanquam abundantia materiæ, summum incendium excitavit: tum verò spectacula cernuntur, quæ neque oratione explicare fas est, neque re ipsa perferre. Manus quidem violentæ propinquis, ac civibus inferuntur, & per omnes partes corporis distrahuntur: in obvios quosque nullius habita ratione, pedes insiliunt: quicquid occurrerit telum furoris efficitur. Quod si ex adverso, pari aliquem offenderint iracundia, & furore commotum, cum illo ita confligunt, atque eam inferunt, & vicissim accipiunt cladem, quæ milites illos decet, qui tali dæmoni semel nomina dederint. Membra enim mutilata, mortemque sæpè dimicantes præmium iracundiæ referunt. Ille prior manus attulit, alter ulciscitur: urget hic, ille non cedit, & corpus quidem vulneribus conciditur, ira tamen sensum doloris excludit. Non enim vacat, quid patiantur, attendere, dum totus est animus in ulciscendæ injuriæ cogitatione defixus. Nolite igitur ægritudini, altero æquè

gra-

gravi morbo, mederi: neve contendite mutua vos calamitate superare. Etenim in turpi certamine longè inferior est ille, qui vincit: quum scelere obstrictus graviore discedat. Noli ergo malum conferre symbolum, malumve mutuum reddere. Contumelia te iratus affecit? malum tu silentio reprime, tu verò contrà facis, animo enim quasi fluctum quendam illius iracundiam excipis, & ventos imitaris adversis flatibus omnia repellentes. Noli esse inimici discipulus: noli, quod odisti, æmulari: noli tanquam irati speculum fieri; dum in te ipse figuram illius effingis, rubet enim ille iracundia. An tu item non es eodem rubore suffusus? illius ardent oculi: tui, rogo te, placidi ne sunt, atque tranquilli? vox illa aspera; tibi mitis? ne in solitudine quidem ita vox in vociferantes integra, sinceraque refunditur; ut in conviciatorem contumeliæ retorquentur. Quin etiam sonus illic idem redditur; contumelia cum accessione revertitur. Quibus enim tandem se inter se jurgantes contumeliis onerant? Ille hunc obscurum hominem, terræque filium dicit; illum iste vicissim vernam, ver-

nis-

nisque prognatum. Hic pauperem, ille mendicum. Hic indoctum, ille dementem: donec eos contumeliæ, tanquam tela deficiant. Deinde verò conviciis consumptis, ad manus venitur, ac pugnam. Ira enim certamen excitat: certamen convicia parit: ex conviciis plagæ; ex plagis vulnera: ex vulneribus persæpè consequitur cædes. Malum igitur nascens opprimatur à nobis: iracundia ex animo totis viribus depellatur: ita enim pleraque mala extirpaverimus, hac perturbatione radicitùs evulsa. Maledicit quispiam? tu hominem collauda. Verberat? perfer. Consputat atque contemnit? tu verò tecum, te ex terra procreatum reputa, & in eandem esse recasurum. Qui enim se hisce cogitationibus instruxerit, quamvis contumeliam, quamvis ignominiam sua intelliget esse indignitate leviorem: ita & repetes ab inimico pœnas ejusmodi, ut nulla te ratione lacessat in posterum, qui te videat vulnerari non posse; & præclaram tibi contexes patientiæ coronam, dum alterius furorem ad occasionem virtutis colendæ traduces. Quare si me audies, ad contumelias tibi im-

po-

positas addes aliquid etiam de tuo. Obscuro te loco natum esse dixit, ignobilem, atque infimæ fortunæ hominem? tu te ipse terram esse dices, ac cinerem. Neque enim Abrahamo patre nostro gravior es, qui sibi ista tribuebat. Imperitum te, pauperem, nullius pretii hominem appellavit? te ipse vermem nomina, teque dic initium à sterquilinio ducere, verba Davidis usurpans. his illud quoque Mosis adde præclarum; qui ab Aarone, & Maria contumeliis oneratus, Deum non adversus illos incitare conatus est, sed pro illis est potiùs deprecatus. Quorum discipulus esse mavis? Beatorum ne, Deoque charissimorum virorum, an eorum, qui spiritu mali dæmonis agitantur? si quando ad contumeliam solicitaris, periculum de te fieri puta, utrum velis ad Deum patientia instructus accedere, an per iracundiam te in adversarii castra conferre. Concede menti tuæ spatium ad cogitandum, quo sententiam possit optimam deligere. Aut enim adversario clementia proderis, aut acriùs etiam injuriarum despicientia vindicabis. Quid enim adversario accidere possit acerbius, quam inimi-

cum cernere nullo contumeliarum impetu debilitatum? Noli mentem huc tuam abjicere: noli pati, ut injuriarum tela te, quæ conjiciuntur, attingant. Sine, ut frustrà te inimicus allatret: se ipse disrumpat. Ut enim is, qui nihil sentientem verberat, se ipse potiùs lędit (neque enim inimicum ulciscitur, neque exsaturat animum;) ita qui contumelias ei, qui non dolet, imponit; satisfacere animo, aut levationem ullam invenire perturbationi non potest. Quin contrà, ut dixi, discruciatur vehementiùs. Ex his verò quæ tandem nomina uterque vestrum sortietur? Ille quidem maledicus, tu magnanimus appellaberis: mitis tu idem, ac facilis, iracundus ille, atque difficilis: illum verborum, quæ effutiit, aliquando pœnitebit: virtutis te, nunquam pœnitebit. Quid multa? Illi cœleste Regnum maledictis intercluditur (maledici enim regnum Dei non possidebunt;) tibi idem regnum silentio paratur: qui enim ad finem usque pertulerit, salvus erit. Quod si ulcisci velis, parque pari, ut dicitur, conviciatori referre: qua te tandem ratione defendes? An quod ille

ille te prior lacessivit? at quæ tandem huic rei debetur venia? neque enim scortator, si culpam in amicam conferat, à qua sit ad peccandum illectus, minus idcircò condemnandus esse videatur. Neque corona quisquam in certamine donatur, nemine reluctante; neque nullo potest aliquis adversario cadere. Audis Davidem, cum dicat, *Dum consisteret peccator adversus me, non excandui*, non injuriam propulsavi: sed obmutui, sed animos demisi: sed ab utilibus etiam rebus dicendis abstinui. Tu autem exardescis iracundia propter contumeliam, quasi ob rem turpem: eandem rursùs tanquam bonum aliquod amplexaris. Jam igitur vitio laboras eodem, quod accusas: aut certè aliena quidem vitia diligenter inspicis: tua esse levia, atque adeò nulla putas. Contumelia, malum est? ne imitare: neque enim, quòd alter incœperit, satis justam habet excusationem: Quin eo graviùs es, ut ego quidem arbitror, reprehendendus, quòd alter nullum habuit irati alicujus, quo reprimeretur exemplum: tu verò, quum irascentis turpitudinem cernas, nihil tamen,
ce-

cogitas de imitatione vitanda: sed excandescis, stomacharis, vicissim illi succenses, atque ita efficis, ut qui rixari cœpit, perturbatione tua ad se purgandum abuti possit. Iis enim, quæ agis, illum culpa liberas, te ipse condemnas. Nam si malum est iracundia, cur non tu illud aversaris? quare, ut ad vindictam posterior veneris, nihil tibi tamen hoc proderit. Neque enim in certaminibus, qui luctæ initium fecit, sed qui superior ex pugna discessit, is tandem coronatur. Quamobrem non modò damnatur is, qui autor alicui ad facinus aggrediendum fuerit; verùm etiam is, qui ad scelus patrandum sit secutus mali ducis exemplum. Si quis te verè pauperem nominat, quin verum amplexaris? Sin mentitur: quid ad te illa pertinent, quæ dicuntur? Ut enim falsis laudibus efferi nunquam debes: ita neque vituperatione, quæ te non attingat, commoveri. Nonne vides, ut sagittæ transadigant, si quæ solida corpora offendunt, & quæ impressionem omnem rejiciant: ut contrà in mollibus quibusque, & cedentibus vires amittant? Persuade igitur

ti-

tibi idem in contumeliis usu venire. Qui occurrit, is demum illas excipit, at qui facilitate morum cedit, iis improbitatis impetum facilè frangit, ac reprimit. Quid verò te cognomen pauperis conturbat? tua tibi natura veniat in mentem: nudum te in hunc mundum ingressum esse memineris, nudumque discessurum. Quid nudo fieri potest egentius? Nihil tibi grave objicitur, nisi ad te, quæ dicuntur, existimes pertinere. Quis est in vincula ob egestatem aliquando conjectus? non paupertas turpis est: sed paupertatem turpe est fortiter ferre non posse. Recordare de Domino, qui quum dives esset, egestatem est nostra causa perpessus. Si stultum te, atque imperitum quispiam appellaverit, redi in memoriam maledictorum, quibus à Judæis vera sapientia proscindebatur. Samaritanus es, & dæmonium habes. Nam si ad hasce contumelias excandescis; tua illas iracundia comprobas. Quid enim ira stultius? Quod si nulla fueris immoderata perturbatione commotus, efficies, ut, qui te violavit, erubescat, quum animi tui moderationem re ipsa declares. Pugnis

gnis

gnis es, aut alapis appetitus? at eadem Dominus, noſtra cauſa pertulit. Conſputatus es? at noſter item Dominus à ſputorum fœditate faciem non avertit: falsò inſimularis? enimverò etiam judex. Tunica tibi proſciſſa? meum quoque Dominum exuerunt, ejuſque inter ſe veſtes diviſerunt. Nondum damnatus es, nondum ſublatus in Crucem, diſtas adhuc ab ejus imitatione longiſſimè. Hæc igitur tibi in mentem veniant ſingula, hæc tumorem animi deprimant, ardoremque reſtinguant. Præparationes enim, ac proviſiones hujuſmodi, malos animi motus, ac tanquam ſaltus, pulſuſque cordis violentos elidunt, & hominem ad ſtatum mentis revocant ſedatum, atque tranquillum. Atque hoc illud eſt, quod à Davide pronuntiatur: *paratus ſum, & non ſum turbatus*. Sunt igitur inſanæ, ac furioſæ commotiones exemplo beatorum hominum coercendæ. Semei temulentiam vir magnus David quam patienter tulit? Nullum reliquit iracundiæ locum, dum in Deum cogitationem, animumque defigeret: Dominus enim, inquit, ſemei ut Da-

vidi

vidi malediceret, imperavit quamobrem, quum se audiret parricidam, ac nefarium hominem appellari, non illi succensebat: sed ita se ipse potiùs demittebat, ut meritò in se jactas contumelias arbitraretur. Duo igitur tibi sunt ex animo penitùs evellenda; ut neque tibi multum tribuas, magnave tibi deberi judices, neque ullum hominem dignitate longè, quàm te, inferiorem putes. Ita enim nunquam iracundia, si quàndo jactatur in nos convicium, excitabitur. Grave est profectò, atque indignum, hominem beneficiis maximis affectum ad ingrati animi crimen contumeliarùm etiam, ac maledictorum dedecus adjungere: grave quidem, sed malum tamen autori longè gravius, quàm ei, cui infertur injuria. Violet, ac maledicat ille: tu ne violari te sine. Tibi sint ad virtutem exercendam illius verba, materia; si enim nihil mordearis, animo sanus es, atque integer. Quod si qua ratione commoveris; dolorem animo contine: *in me enim*, inquit, *turbatum est cor meum*: hoc est, non prodit perturbatio, non se ostendit, sed quasi quidam fluctus

ctus intra littus collisus, dissipata est, atque sedata. Comprime igitur cordis, quasi oblatrantis feritatem: perturbationes rationis vereantur aspectum, non secus, ac viri gravis præsentiam immodesti pueri vereri solent. Qua ratione igitur tandem incommoda vitabimus iracundiæ? si effecerimus, ne rationem ira præcurrat: si illud in primis curaverimus, ut mentem illa nunquam antevertat; si ipsam ut equum aliquem moderemur, ut nusquam de sua statione decedens, rationis tanquam fræno regi, & quocumque ratio velit, duci se facilè patiatur. Nobis enim illa pars animi, in qua est ardor irare, multas ad res perutilis est: siquidem, ut bonus aliquis miles, armis apud Ducem depositis, imperata facere non recuset, ineatque cum ratione contra scelera societatem: nervus est animi quidam iracundia, quæ robur illi ad honestatem retinendam præbet. Nam, siquando illum voluptate delinitum, ac lascivientem offenderit, tanquam ferri temperatione quadam cohibet, & à remissione illa, atque mollitie ad firmitatem, severitatemque traducit.

Nunquam enim, nisi adversus improbum illum dæmonem animus exardescat, satis magno, ut par est, in illum odio concitaberis. Pari enim, opinor, erga virtutem amore, atque in scelus odio affectos esse nos decet. Ad odium concipiendum iracundia perutilis est, ubi tanquam pastori canis, sic illa rationi libenter obsequatur; mitem se amicis, ac facilem præbeat, seque ab illa revocari sinat: ad alienam vocem, aspectumque torva, & agrestis, quamvis demulceri se sentiat; notorum tamen, atque amicorum vocem, ac præsentiam vereatur. Hanc operam vis irascendi rationi navat egregiam. Nam, qui ita sit affectus, nulla ratione potest insidiatoribus conciliari: nullum cum ipsis habere commercium, nullum unquam cum iis, quæ virtute adversantur, fœdus init, nullam contrahit amicitiam, voluptatem, à qua sibi parari sentit insidias, quasi lupum quendam allatrat, atque dilaniat. Hunc igitur prudentes viri fructum ex iracundia capiunt. Nam, & reliquæ animi facultates, ita bonæ, malæve sunt, ut benè iis, vel malè iis utitur. Qui enim,

exem-

exempli causa, ea parte animi, in qua ineſt cupiditas, ad obſcœnas corporis voluptates abutitur, execrandus profectò ſit, ac flagitioſus: is verò prædicatione, atque admiratione digniſſimus, qui eandem vim ad amandum Deum, atque ad bona expetenda conferat ſempiterna. Idem de facultate dicendum eſt, in qua mens, & ratio dominatur. Qui enim præclarè illam regit, is erit prudens: qui autem exacuit ad alios violandos ingenium, is improbè verſutus, is vafer jure dicetur. Quamobrem, quæ ad ſalutem nobis à conditore data ſunt, ea nos ne ad perniciem, atque ad ſcelera convertamus. Ita igitur, ſi & quo tempore, & quemadmodum oportet, incitetur iracundia; fortitudinem parit, patientiam, continentiam: ſin aliter quàm ratio poſtulat, adhibeatur, furor efficitur. Pſalmus etiam idcircò nos admonet: *iraſcimini, & nolite peccare*. Et verò Dominus, ſine ratione, ac temerè iraſcenti minatur judicii ſeveritatem: non tamen damnat eos, qui ira tanquam remedio, ubi ſit opus, utantur. Illa enim: *inimicitias ponam inter te, & ſer-*

pentem; & illa: *hostes eritis Madianitarum*, iracundia nobis, tanquam telo, utendum esse demonstrant. Ergò Moses, qui omnium planè mortalium fuisse mitissimus dicitur, quum pœnas ab aurei vituli cultoribus repeteret, ad fratrum cædem, Levitarum manus armavit: *gladio se quisque*, inquit, *accingat*, *ad portam à porta transite*, *& reflectite per circuitum castrorum*: *suum quisque fratrem*, *suos quisque propinquos de medio tollite*: & paulò post, *& dixit*, inquit, *Moses*, *vestras hodie manus domino consecrastis*, *in suo quisque filio*, *& in suo quisque fratre*, *ut detur vobis benedictio*. Quid verò Phinees justitiæ laude cohonestavit? Nonne justa in scortatores ira? qui alioquin mansuetus ferè quum esset, ac perhumanus, quum vidisset stuprum à Zambri, ac Madianitide palam, atque impudenter admitti, ut ne deformitatem quidem occultarent, spectaculum tam turpe non tulit, oportunè usus iracundia utrumque hasta confodit. Samuel verò nonne Regem Amalecis Agagum, quem Saul contra Dei conservarat imperium, justa ira commotus, in medium productum intere-

teremit? Ita eſt plerumque iracundia honeſtarum actionum adminiſtra. Elias, qui à divini honoris tuendi, atque augendi ſtudio Zelotis nomen invenit, quinquaginta ſupra quadringentos turpitudinis, ac petulantiæ, quadringentos item nemorum ſacerdotes, qui à Jezabele alebantur, juſta, & moderata ira, ut Iſraelis populo univerſo conſuleret, occidit. Tu verò fratri tuo temerè, ac ſine ratione ſuccenſes. An non enim temerè, quum ſit alius, qui agit, atquè incitat, alius qui agitatur: cui tu tamen iraſceris? & quidem canes imitaris, qui jactos in ſe lapides mordent, eos, à quibus appetuntur, ne attingunt quidem. Qui incitatur miſerandus. Is dignus eſt odio, à quo exagitatur. Transfunde in illum homicidam, in mendacii parentem, in artificem ſceleris iracundiam: fratris verò potiùs vicem dole, quòd cum diabolo ſit igni ſempiterno, ſi in peccato perſtiterit, addicendus. Jam verò, ut non eadem ſunt excandeſcentiæ, atque iracundiæ nomina, ita, quæ illis notiones ſubjiciuntur, inter ſe plurimum differunt. Eſt enim excandeſcentia ira naſcens, ac modò

existens, quum tanquam exardescit subita perturbatione animus, & inflammatur. Iracundia verò permanens est ægritudo, ac libido puniendi ejus, qui læsit injuria, velut ad vindictam animo turgente. Utroque igitur modo homines peccare quis nescit? aut enim furiosè, atque insanè in se lacessentes concitantur, aut astutè, & callidè insidiantur jis, à quibus injuriam accepere. Nobis autem utrumque vitandum. Qua igitur tandem ratione perficias, ut quo non oportet, iracundia ne impellaris? qua ratione? si ad omnem animi summissionem instituaris, quam Dominus & oratione præcepit, & re ipsa probavit: modò quum diceret: *qui voluerit inter vos primus esse, sit postremus omnium*: modò quum pulsatus cædentem æquo, ac sedato animo ferret. Cœli enim, terrarumque procreator, ac Dominus, is, quem cœlestes illæ mentes cunctæ venerantur, qui portat omnia verbo virtutis suæ, non vivum illum ad inferorum supplicia, terra discedente, detrudit; sed amicè monet, ac docet: *si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem benè, quid*

me

me cædis? Si enim consueveris in postremis, ex domini præcepto, consistere, quando unquam quasi de violata dignitate poteris stomachari? Si te maledictis puerulus insectetur, contumeliæ tibi risum movent: si quis delirii morbo laborans, deque statu mentis deturbatus verba in te contumeliosa profundat, commiseratione illum potiùs, quam odio dignum ducis. Non verborum igitur natura ægritudinem, & molestiam parit: sed ejus, qui nobis maledicit, despicientia, & inanis de vobis ipsis existimatio. Quare si hæc duo ex animo evelleris, inanes quidam verborum strepitus erunt, quæ in te maledicta jaciuntur. Desiste igitur ab iracundia, excandescentiam depone, ne illam cogaris iracundiam experiri, quæ in omnem impietatem, atque injustitiam hominum, divininitùs existet. Si enim sapienti consilio acerbas iracundię radices exstirpaveris, multas perturbationes cum hoc tanquam capite, sustuleris. Nam dolus, suspicio, perfidia, calliditas, insidiæ, confidentia, aliaque permulta generis ejusdem, quædam sunt hujusce vitii germina. Ne igitur no-

bis malum ipsi inferamus. Gravis est enim animi morbus iracundia: mentis lumen extinguit: à Deo nos abalienat: propinquitatis, ac necessitudinis oblivionem affert: bellorum est causa: calamitates calamitatibus cumulat: malum dæmonem in animos nostros inducit, & quasi quidam impudens inquilinus intima quæque occupat, sanctoque spiritui aditum intercludit. Ubi enim simultates, lites, iræ, concertationes, contentiones, quæ incredibiliter animos commovent, atque perturbant; ibi spiritus mansuetudinis non requiescit. Verùm beati Pauli præceptis obtemperemus, iracundiam omnem, excandescentiam, clamorem, omnemque planè malitiam abjiciamus. Simus inter nos benigni, nosque inter nos malorum nostrorum misericordia capiamur: ut quæ mitibus promissa est, beatam vitam sperare possimus. *Beati enim mites; quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram*: in Christo Jesu Domino nostro, cui, & patri, qui principio caret, & ipsorum sanctissimo, optimo, ac vivifico spiritui gloria, & imperium in omnem debetur æternitatem. Amen.

EJUS-



EJUSDEM SANCTI

BASILII MAGNI,

In dictum illud ex Evangelio secundum Lucam:

Destruam horrea mea, & majora ædificabo:

Itemque de Avaritia,

CONCIO.

Raphaele Volaterrano Interprete.

Duplex est tentationum genus. Nam vel corda hominum, tanquam aurum in fornace, afflictis rebus, adversisque probantur, quæ per patientiam ip-

sorum coarguant, ac declarent probitatem: aut certè ipsa vitæ prosperitas sæpenumerò multis tentationis, & experimenti loco est. Æquè enim durum videtur, in rerum difficultate minimè dejici, & infractum servare animum, ac in felicitate non extolli ad irrogandam contumeliam. Et quidem prioris exemplum magnus Job invictus Athleta præ se tulit, qui omnem diaboli violentiam, veluti torrentis impetum inconcusso corde, firmoque proposito quum excepisset, tanto major tentationibus apparuit, quanto duriora illi, vixque eluctabilia ab hoste visa sunt objecta illa certamina. Earum verò tentationum exempla, quæ ex lætiore rerum successu contingunt, cum alia multa sunt, tum hujus nobis nunc lecti divitis, qui opes quidem alias habuit, alias verò se habiturum speravit, Dei benignitate ipsum abusque initio tolerante, nec ob ingratitudinem morum condemnante, sed continuò priobus divitiis alias addente, si quo modo per copiæ satietatem animum ejus ad liberalitatem, ac mores mansuetiores aliquandò provocaret. Ho- *Hominis*, inqtit, *divitis uberes fructus*

ager

ager attulit, & cogitabat intra se dicens: Quid faciam? destruam horrea mea, & majora ædificabo. Cur igitur abundavit ager hominis nihil boni ex copia facturi? ut major Dei longanimitas appareret: quando usque ad tales quoque ejus bonitas extenderetur: qui pluit super justos, & injustos, & Solem suum oriri facit super bonos, & malos. Talis verò bonitas Dei majus colligit supplicium his, qui perversè agunt. Hujus itaque divitis terræ, per manus avaras cultæ, Deus imbres tribuit, ac Solem, qui semina ad maturitatem sui caloris fotu proveheret, & multiplicaret fruges per fertilitatem. Et talia sunt, quæ Deus largitur; terræ videlicet confert aptitudinem, aeris temperiem, seminum copiam, auxiliarem boum operam, & si qua sunt alia, quibus agricultura feliciùs promovetur. Hominis verò hujus qualia sunt? Mores amarulenti, in omne hominum genus odium, nulla in proximum liberalis collatio. Hæc miser benefactori rependit. Non communis meminit naturæ: nec quæ supererant putavit egentibus distribui oportere: nec ul-

lam inibat rationem illius præcepti, *ne desieris benefacere inopi*: Itemque *Eleemosynæ, ac fides ne te deserant*: item: *frange esurienti panem tuum*: denique Prophetæ, omnesque doctores clamantes non sunt auditi. Sed horrea multitudine fructuum gravata dirumpebantur: cur autem ejus parcum, ac tenax minimè exsaturatum est. Semper enim antiquis nova superaddens, & annuis proventibus copiam augens, in hanc inextricabilem incidit mentis inopiam, ac perplexitatem, cum ne vetera quidem propter avaritiam sineret in usus inopum cedere: nec item recentibus propter copiam locus esset: idcircò vana, & inefficacia ejus consilia, curæque perplexæ fuerunt. *Quid faciam*? inquit. Quis non misereatur sic miserè curis obsessi? Ipsa fertilitate miser erat, ac timidulus. Miserabilis præsentibus, & paratis bonis, miserabilior ob ea, quæ adhuc expectabat. Num enim proventus ei fert terra? gemitus ei producit: num fructuum copiam colligit? imò curas, dolores, & graves anxietates. Peræquè enim ac egestate pressi, miser affli-ctatur, & ejulat. An non talis modi

di edit vocem, cujusmodi solet, qui angustia pressus mendicat? Quid faciam? alimenta unde? unde indumenta? Hæc secum submurmurat, ac loquitur dives: cor per hæc mœrore conficit, & afflictat, dum æstuat anxia sollicitudine. Cæteros enim, quod assolet lætitia perfundere, id macerat, ac liquefacit avarum. Ex his enim omnibus, quibus domi plenissimè affluit, nihil decerpit gaudii: quin ipse potiùs undique affluentes divitiæ, & quarum diffussionem non capiunt promptuaria, punctim ejus exstimulant animum, ac lancinant, ne ad externos fortè, vel transcursim aspiciens, in alienos cogatur nonnihil conferre subsidii. Hæc istius animæ misera affectio mihi planè videtur nihilo dissimilis voraci gullæ helluonum, qui ingluvie disrumpi malint, quam ut vel tantillum ex reliquiis in inopes conferant. Agnosce, ò homo, eum, qui dedit. Fac memineris tui ipsius, tu quis, quid item dispenses, à quo acceperis, qua item gratia tam multis sis prælatus. Dei optimi minister es, tuorum dispensatur conservorum. Ne puta omnia ventri tuo præparari: quæ in

in manibus habes , ut aliena, existima : parvo te exhilarabunt tempore, deinde diffluentia præteribunt , quorum ratio abs te acriter exigetur. Tu autem omnia simul portis, & repagulis retines interclusa, iisque signaculis obsignatis, & colligatis advigilas anxius. Ex te ipso captas consilium ; planè imprudenti uteris consiliario . Quid faciam ? Parata tibi responsio fuerat : esurientium animos explebo , aperiam horrea , & omnes vocabo indigos : imitabor Joseph præconio exhibitæ hominibus benignitatis celebrem : vocem emittam magnificam : Quicunque panibus egetis , venite ad me singuli participes futuri , quod satis fuerit , gratiæ à Deo mihi collatæ , quasi prosilientis è cummunibus fontium scatebris. At non tu talis. Unde enim tu, qui rerum commoditatem, usumque invides hominibus , improboque tecum inito consilio solicitus es , non quo pacto cuique ea , quæ necessaria ad vitam sunt, dispertiaris : sed quonam modo omnibus ad te retractis ; omnes eorum prives utilitate ? Præsto erant , qui animam illius è corpore exigerent, & ille cum

ani-

anima de escis loquebatur. Eadem illa nocte auferenda erat illi anima, & ille multorum annorum delitias sibi ipsi imaginabatur. Permissum illi est, quidvis consultandi, animique sui sententiam exprimendi, ut competentem suo proposito sententiam acciperet. Cave ne idem tibi quoque usu veniat. Hoc namque ideò scriptum est, ut simile quid vitemus. Imitare, ò homo, vel terram: ut illa fructus proferto, ut ne illa conspiciàris esse deterior, quæ inanimis est. Sanè illa non in suum usum, aut commodum, sed in tuum ministrare contendit. Tu autem quemcumque ostenderis benificentiæ fructum, illum tibi ipsi congregas. Nam benefactorum gratiæ in dantes revertuntur: dedisti esurienti? tibi consuluisti: quod dedisti, ad te cum auctario revertetur. Quemadmodum enim frumentum in terram cadens, lucrum projicienti parit: sic & panis in esurientem projectus, multam in posterum tibi reddet utilitatem. Sit agriculturæ tibi finis initium sementis cœlestis. *Seminate*, inquit, *vobis ipsis in justitia*. Quid igitur anxius es? quid affligaris luto,

to, & lateribus divitias claudere contendens? *Melius nomen bonum, quam divitiæ multæ*. Si autem divitias ob honorem inde provenientem admiraris, considera quanto ad gloriam magis faciat multorum filiorum parentem appellari, quam mille ſtateres in marſupio repoſitos habere. Pecuniam enim hic vel nolens relinques: honorem verò ex benefactis ad Dominum referes: quando populus omnis communem judicem circumſtans, te & nutritorem, & in inopes beneficum, & demum omnibus, quæ ad humanitatem pertinent, nominibus appellabunt. Nonne vides quoſdam in theatris in pancratiaſtas, & mimos, & homines cum feris certantes, quos ſpectare quis abominetur, pro brevis temporis honore, ac populi plauſu pecuniam prodigentes; tu autem tam parvi es animi, ut ad ſumptus perpetuam tibi gloriam pariturus cuncteris? Deus eſt, qui recipiet, & Angeli collaudabunt, homines quotquot ab ipſa mundi creatione fuerunt, beatum te prædicabunt. Præterea, gloria ſempiterna, corona juſtitiæ, regnum Cœlorum, præmia tibi ob harum rerum corru-
pti-

ptibilium administrationem, erunt: quæ tu nihili ducis. Tanto teneris rerum præsentium studio, ut quæ spe præsumere debes, ne tanti quidem facias præ illis. Age dum ergò, tuas opes in pauperum varios usus dispone, ac dispensa, clarus, & venerabilis ob sumptus in egentes esto. De te illud dicatur: *dispersit dedit pauperibus, justitia jus manet in sæculum.* Noli solito gravius vendere, necessitatibus intentus. Ad horrea tua aperienda noli annonæ caritatem expectare. Nam qui auget pretium annonæ, publicæ execrationi obnoxius redditur. Famem ob aurum ne operitor: noli ob utilitatem privatam, communem inediam affectare. Noli, inquam, institor, caupove humanarum fieri calamitatum;ne per occasionem cumulandarum opum iram in te accersas Dei. Ne molestiam generes vulneribus eorum, qui flagellis cæsi sunt. Tu verò aurum tantùm respicis, fratrem verò tuum non aspicis, & nummi quidem characterem, ac genus cognoscis, probum ab adulterino discernis, fratris verò tui egestatem prorsùs nescire quidem vis. Auri renidens color te mirum

in modum oblectat : at quantus te sequatur inopis gemitus non cogitas? Quomodo tibi ob oculos proponam calamitates pauperis? Ille circumspectis omnibus videt sibi nihil suppetere auri, sed ne sperat quidem unquam affuturum. supellex porrò, ac vestimentum ejusmodi, cujusmodi esse solent pauperis facultatulæ, nimirùm pauculis obolis æstimandæ. Quid igitur? Ad liberos denique oculos reflectit, eos ut ad forum deductos exponat venui, atque illinc qualecunque solamen inveniat impendentis fati. Expende, quæso, hic certamen ex una parte instantis famis, ex altera paterni affectus: cum altera miserabilem mortem intentet, natura verò retrahat, & una cum filiis mori persuadeat, & sæpè concitatus, sæpè repressus, tandem urgente necessitate inevitabili victus, & coactus in id consilii rapitur. Et quæ hic consultat Pater? Quem primum liberorum vendam? Quem magis cupiet is, qui frumentum commutat? si primum: at ætatis honos me reprimit. Juniorem ne? at me miseret ævi calamitatis adhuc indocilis. Iste apertas habet notas, quibus parentum suorum effi-

effigiem exprimit. Ille aptus est ad disciplinarum studium. Heù ineluctabilem calamitatem! Quorsum evado? Quem nam istorum lædam, & offendam? cujusnam bestiæ ingenium assumam? Quomodo naturæ obliviscar? Jam si cunctos retinere adnitar, cunctos videbo calamitate famis absumi. Si unum vendidero, quibus oculis reliquos aspiciam, cum me jam illis videam de mea erga ipsos fide suspectũ? Quomodo domũ inhabitabo, qui mihi ipsi orbitatem accersiverim? Quomodo ad mensam accedam, cujus sumptus ex tali mercatura constant? Tandem multis cum lacrymis, charissimum natorum unum venditurus ad te venit. Tu propterea nihil tali calamitate inflecteris? Nulla subit mentem naturæ communis ratio? Quin & illum, licet fames premat, ludificas interim cavillis, & comperendinator dissimulas, diuturnioremque illi nectis, & concinnas calamitatem. Quum ille sua tibi viscera pro alimoniæ pretio offerat, manus tua ex hujusmodi calamitatibus facultatem, & opes captans, non solùm non stupet, sed reluctaris, quasi nimium des; & ut multum lucreris minus tum dare

re conaris, undique miseri gravans incommoda. Non lacrymæ tibi extorquent misericordiam, non suspirium cor emollit: sed inflexibilis, & duricordius aurum respicis, aurum imaginaris. Hoc tibi dormienti insomnium, & vigilanti desiderium. Quemadmodum enim per insaniam mente moti res probè non vident, sed pro morbi sui ratione quævis imaginantur: sic anima tua ab avaritia possessa, cuncta aurum, cuncta argentum respicit; libentiùs vides aurum, quam solem. Quæcumque vides, in aurum verti cupis, dasque operam, quoad possis, & liceat. Quid enim rerum non moliris, movesque unius auri gratia? Frumentum tibi in aurum vertitur, vinum in aurum concrescit, lanæ ipsæ transeunt in aurum. Omnis mercatura, studium omne tuum, ac solertia conciliat tibi, suggeritque aurum. Quid? seipsum denique generat aurum, dum per fœnus tanto redditur auctius. Nec enim satietas, aut finis cupiditatis invenitur. Sæpè numerò pueris cibi justo appetentioribus, quæ cupiunt maximè, affatim, & ad saturitatem damus, ita

ut

ut ex copia faſtidio capiantur: avarus autem non ita, ſed quanto plus accipit, tanto plura deſiderat. *Divitiæ ſi affluant*, inquit Pſal. *nolite cor apponere*. Tu autem præter neceſſitatem affluentes retines, & exitus obſtruis. Deinde ſic coactæ, ac occluſæ, & quaſi ſtagnantes, quid tibi faciunt? Rumpunt repagula violenter retentæ, redundantia deſtituunt horrea, promptuaria ſolo adæquant, ac ſi hoſtis alicunde irruperit *Sed majora*, inquis, *ædificabis*: Incertum: an deſtructa velut per manus ſucceſſori dabit. Nam ipſe velociùs migrabit hinc abreptus, quam illa juxta avaritiæ ipſius cagitationem erigantur. Sed hic quidem dives finem congruum, ac parem conſiliis malis eſt aſſecutus. Vos contrà, optem à me ut perſuadeamini, nempè ut portis omnibus patefactis, promptuariorum, divitiis latiſſimè patentem tranſitum exhibeatis, quaſi latifundo fluvio frugiferam terram per mille irriguas helices, rivoſque clam ingredienti. Itidem & ipſi per multas vias opibus ad pauperum domos aditum date. Nam & putei continuò exhauſti, & copioſiore, &

pul-

pulchriore admodum fluunt aqua, dimissi verò, & quieti, facilè putent: sic & opes conditæ, quiescentesve, inutiles, motæ autem, & translatæ publicum commodum, & fructum pariunt; quarum gratia, ò quanta tibi laus ex iis, qui beneficium acceperunt, proveniet! quam tu cave contempseris. Quanta verò à justo judice merces! cui tu diffidere nolis. Exemplum itaque accusati divitis tibi ubique occurrat: qui quidem præsentia custodiens, & futurorum spe anxiè solicitus, & incertus, num esset victurus crastino, hodie peccando diem antevertit crastinum. Nondum ad hunc inops advenit supplicaturus, & jam antea suam declarat feritatem. Nondum collegit fructus, & jam avaritiæ judicium, & condemnationem accepit. Terra quidem in ferendis ei fructibus officiosa fuit. Profundam in arvis segetem ostentabat, racemos in palmitibus plurimos tulit. Is verò illi pariter præbens oleam fructibus prægnantem, ac turgidam, & ex genere nucum omni illi promittens omnimodam alimoniam, quum is interim nulli commodus, aut benevolus esset, & sine fructu. Nondum ha-

be-

bebat fructus, & illos jam egenis invidebat. Quanquam quot sunt periculis onoxiæ fruges, antequam domum comportentur? Nam & grando sæpè eligit, atque comminuit, & æstus ingens è mediis eripuit manibus, & aqua intempestiva è nebulis fluens infrugi reddidit,& inutiles fructus. Quin tu ad Dominum preces effundis,ut munus hoc tibi impertitum perfectum reddat? imò tute antevertis indignum efficere eorum susceptione, quæ tibi præmonstrata sunt. Clam loqueris tecum: at tua verba in Cœlo examinantur: quopropter & inde tibi respondetur. Quæ autem dicit? *Anima*, inquit, *habes reposita tibi multa bona: comede, bibe, gaude*. O verba stultissima! ò dementiam singularem! Nam si porcinam habuisses animam, quid aliud ipsi enuntiare potuisses? Itane pecuinus tu, ita bonorum animæ ignarus, eam ut exceptes carnalibus epulis, & quæcunque alui secessus recipit, animæ destines? siquidem illa virtutem habet, si plena est bonis operibus, si Dei gratiam sibi conciliavit, ac familiariter ascivit, tum sanè multa bona habet, tum lætari poterit bona lætitia. Jam quando terrena sapis,

pis, & Deum habes ventrem, totus quoque caro effectus, vitiosis affectibus obsequeris, audite dignam appellationem, quam tibi nullus hominum, sed ipse Dominus indidit: *Stulte, hac nocte animam tuam abs te repetent*. quæ autem præparasti, cujus erunt? Superat æternam pœnam irrisio ista stultitiæ. Qui namque paulò pòst abripiendus è vita, & ad supplicium abducendus, quale init tacitus consilium? *Destruam horrea, & majora faciam*. Isti ego sanè dicerem, benè facis: nam iniquitatis horrea procul dubio digna sunt, quæ diruantur. Everte miser tuis ipse manibus, quod malè ædificasti. Solve horrea, unde nullus unquam solamen vllum consecutus est. A fundamentis excidito avaritiæ custodem, dirue tectum, everte muros, ostende soli frumentum, quod cariem, situmve contraxit. Educ diutiùs illigatas hasce divitias: produc in publicum tenebris obsita mammonæ domicilia. *Destruam horrea mea, & majora faciam*. Ubi verò & ista frumento adimpleveris, quid, quæso, ampliùs cogitabis? an rursùs destrues, & rursùs ædificabis? quid stultius, quam laboribus nunquam finiendis se conficere,

ac

ac summo cum studio ædificare, nec minore cura eadem demoliri ? Habes, si vis, apothecas, domos pauperum, thesauriza tibi thesauros in Cœlo. Quæ illic reconduntur, ea neutiquam depascuntur tineæ, nulla depopulatur caries, aut erodit, nulli suppilant prædones. Dixeris: atqui tum in indigos dispartiar, quum horrea fecunda complevero. Longa tibi vitæ tempora præfixisti: vide ne te illud tempus, quod certo, ac præstituto termino accelerare solet, fortè corripiat. Et profectò vitam sibi hoc modo confidentiùs polliceri, non bonitatis, sed malitiæ est indicium. Vitam namque tibi polliceris, non ut posthac sis liberalior, aut tribuas: sed ut instantem mendicum à te propulses. Jam quando suppetit, quid prohibet, quominus liberaliter impartiare? Nonne inops adest? non sunt plena horrea? non merces à Domino parata? non mandatum manifestum? Esuriens fame absumitur, nudus frigore rigescit. Cui repetitur debitum, vinculis obtorto collo adstringitur: & tu Eleemosynam in crastinum differs? Audi Salomonem: *nè dicas, regressus revertere, & cras*

 da-

dabo: *ignoras enim*, *quid sequens pariet dies*. Qualia præcepta contemnis, quod aures anteà tibi avaritia obturaris? Quantam te Deo beneficientissimo gratiam habere, quam hilarem esse te simul, & in inopes munificum, atque liberalem oportebat, quòd non ipse pro foribus alienis cogeris obstreperus esse, & querulus, sed tuas alii occupant? Nunc autem tristis es, & rogatu difficilis; occursus pauperum vitas, ne fortè aliquid vel modicum è manibus coacto exeat. Unam tantùm nosti vocem: non habeo, non dabo; nam & pauper ego quoque sum. Pauper es, profectò pauper, & omnium egens bonorum. Pauper, inquam, charitate, pauper benignitate in indigos, pauper fide erga Deum, pauper æterna spe. Quamobrem frumenti quodcunque possides, tuos fac fratres participes. Cras fortè marcescet: hodiè egenti da. Avaritiæ genus id pessimum est, nolle ne ea quidem, quæ facilè corrumpuntur, inopi dare. Dixeris: cui facio injuriam, si mea retineo, conservoque? Quæ illa, dic mihi, tua? Unde accepta hæc ad traducendam præsentem hanc vi-

vitam invexisti. Perinde enim facis, ac si quis in theatro locum spectandi mox ut antevertit aliis arripere, cæteros abarceat ingressu, suo unius usui id adjudicans, quod ad omnium communem usum proponitur. Tales & divites existunt: communia namque quum priores obtinuerint, propria faciunt occupando. Nam si tantum quisque usurparet, quantum ad propriæ necessitatis solatium faceret; superfluumque egenti tribueret, nemo profectò esset dives, nemo item pauper. Nonne nudus ex utero matris excidisti, nudusque rursùs reverteris ad humum? Hæc tibi bona præsentia unde? Si à casu dixeris, impius es, eum non agnoscens, qui te condidit, neque ei, qui dedit, rependens gratiam. Quod si ex Deo te illa habere fateris, dic mihi, quamobrem hæc sortitus es? Non enim injustus est Deus, qui ea, quæ sunt ad victum, inæqualiter nobis diviserit? Cur tu dives es, ille pauper? Profectò non ob aliam causam, nisi ut tu benignitatis, ac fidelis administrationis mercedem accipias; ille verò patientiæ maximis præmiis honoretur. Tu verò insatiabilis avaritiæ la-

certis omnia circumplexus, & tot homines illis privans, neminem te lædere putas. Quis, quæso, est avarus? Ille, qui eo, quod satis esse debet, non est contentus. Quis verò peculator? Ille, qui ad se unum transfert, quæ singulorum sunt. Tu ergò non avarus? Non tu peculator, cum ea, quæ ad dispensandum, distribuendumque receperis, tibi propria facis? Num qui vestem diripuerit, spoliator nominabitur: qui autem nudum non texerit, modò possit, alterius cujusdam nominis appellatione dignus erit? Esurientis est panis, quem tu retines: nudi est vestis, quam in arca custodis: discalceati calceus, qui apud te marcescit: egentis argentum, quod tu terræ infossum possides. Quare tot injurius es hominibus, in quot poteras opem conferre? Pulcher, inquis, sermo, sed pulchrius aurum. Ut accidit illis, qui apud intemperantes de temperantia disserunt, idem & nobis fit. Etenim illi, ubi intellexerint amicam suam explodi, atque traduci, illarum memores, vehementiore concupiscentia inflammantur. Sed quomodo ego tibi ob oculos ponam pauperis affli-

afflictationes, ut planè cognoscas ex quantis tibi suspiriis, & gemitibus hunc corradis thesaurum? O quanto dignum pretiò tibi censebitur die judicii verbum illud: *venite benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere.* Quanta rursùs trepidatio, ac sudor, quantæ ob oculos tenebræ se tibi circumfundent condemnationem audienti? *Ite maledicti in tenebras exteriores, paratas Diabolo, & Angelis ejus. Esurivi, & mihi non dedistis manducare: sitivi, & non dedistis mihi bibere: nudus eram, & non operuistis me.* Non enim ibi rapax accusatur: sed, qui substantiam non communicaverit, condemnatur. Ego quidem vos horum admonui, quæ videbantur utilia: quibus si obtemperaveritis, bona, quæ vobis promittuntur, procul dubio consequemini. Non audientibus verò, & minæ intentati supplicii jam scriptæ sunt, atque paratæ, quarum ego periculum vos evadere magnoperè cupio, ad meliorem transmutatos mentem, ut animæ vestræ redemptio sint propriæ divi-

tiæ, & ad bona cœlestia vobis parata perveniatis gratia, & benignitate ejus, qui quosvis vocavit in regnum suum, cui gloria, & imperium in æterna sæcula. Amen.

EJUSDEM SANCTI

BASILII MAGNI

CONCIO.

Quod Deus non est author malorum.



Lures docendi modi per Psalmorum conditorem David à sacro, qui in illo operatus est, Spiritu, nobis innotuerunt. Nam aliquandò proprias afflictiones narrans Propheta, & quemadmodum ea, quæ evenerunt, generosè tulerit, ipsiùs exemplo patientiæ nobis præceptum clarissimum reliquit: ut quando ait: *quid multiplicati sunt, qui tribulant me*? quandoque verò

Dei

Dei bonitatem, & ejus auxilii velocitatem, quod verè ipſum inquirentibus præbet, commendat dicens: *Cum invocarem, exaudivit me Deus juſtitiæ meæ*. Quæ ſanè ſententia illi ſimilis eſt, quam alius Propheta habet, dicens: *adhuc te loquente dicet: ecce adſum*. Hoc eſt, nondum vocare deſtiti, & finem invocationis aures Dei anteverterunt. Rursùs ſupplicationes ſimul, & preces offerens Deo, docet nos, quemadmodum fas ſit in peccatis exiſtentes Deum placare: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. In XII. autem Pſalmo longum tentationis certamen oſtendens, ait: *uſquequo obliviſceris me Domine in finem; uſquequo avertis faciem tuam à me*? & per totum Pſalmum nos docet, ne deficiamus in afflictionibus, ſed expectemus bonitatem Dei, ſciamuſque, quod ille prudenti quadam diſpenſatione afflictionibus nos dedat, & ſecundum proportionem uniuſcujuſque fidei, probationum inducat menſuram. Quoniam igitur dixit: *uſquequo, Domine, obliviſceris me in finem? uſquequo avertis faciem tuam à me?* ſtatim ad malum eorum, qui

Athei sunt, transit: qui, si quid calamitosum acciderit, instantem in rebus adversis dolorem non ferentes, mox secum perplexi, dubitant, an sit Deus, qui rerum hujus mundi curam gerat, an singula videat, an pro meritis eorum, quæ in vita gesserit, unicuique retribuat. Deinde ubi se ipsos viderint in iis, quæ nolunt, diù retentos, pravum illud dogma inter se confirmant; & in suis cordibus ita decernunt: non est Deus: *dixit insipiens in corde suo non est Deus*. Hoc itaque cum in animum induxerunt, certatim ad omne reliquum peccati genus ruunt. Si enim nullus est inspector, si nullus, qui pro meritis vitæ cuilibet tribuat, quid prohibet pauperem conculcare, orphanos necare, viduam, & advenam occidere, omne audax facinus tentare, impuris, & abominandis affectibus, omnibus denique pecuinis cupiditatibus inquinari? idcircò illud, quod talem impietatem, quæ Deum non esse dicit, consequitur, subjungit: *corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis*. Impossibile namque est à via justa aberrare eum, qui in suo corde Dei non

obsi-

oblivifcitur. *Unde*, quæfo, *gentes traditæ funt in reprobum fenfum*, *ut faciant ea*, *quæ non conveniant*, ut ait Paulus? nonne, quoniam dixerunt, *non eft Deus?* Cur in paffiones ignominiæ ceciderunt, ut fœminæ apud eos naturalem ufum mutaverint in eum, qui eft contra naturam, mares in mares turpitudinem operantes? Nonne, quoniam mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in fimilitudinem volucrum, & quadrupedum, & ferpentium? ftultus igitur, & verè à fenfu alienus eft, qui dixerit: *non eft Deus*. Similis item huic eft, nec quicquam in ftultitia differt, qui Deum malorum caufam effe dicit, parque priori fcelus exiftimaverit: quoniam ambo bonum Deum fimiliter negant. Alter quidem non effe omninò dicit: alter verò non bonum effe affirmat. Si enim eft malorum caufa non bonus eft: fi non bonus, neque Deus: itaque utrobique eft negatio Dei. Unde, inquit ille, funt morbi, intempeftivæ mortes, interneciones civitatum, naufragia, bella, peftes? Hæc enim mala funt, inquit, & omnia Dei opera. Itaque quem a-

lium possumus præter Deum in eventibus omnibus incusare ? sed age, quando in vulgatam incidimus quæstionem, ad aliquod confessum, ac certum principium orationem adducentes, problema hoc studiosiùs tractemus, & planam, & explicatam de ipso enarrationem facere tentemus. Unum quidem hoc habere in mentibus nostris præsumptum oportet, quod, cum simus boni Dei opificium, & ab illo constemus, omnia circa nos tam modica, quam magna dispensante, nihil nobis accidat, illo non volente, & quod nihil eorum, quæ nobis accidunt, malum sit, aut tale, ut melius illo aliquid excogitare queamus. Ex Deo, inquiunt, sunt mortes. Non malum omninò mors est, nisi quis malum dixerit peccatoris mortem : proptereà quod per illam hinc liberati ad infernalia supplicia rapiuntur. Rursùs autem apud inferos, quæ sunt mala, non Deum causam habent, sed nos ipsos. Principium namque, ac radix est peccati ea, quæ in nobis potestas est, & arbitrii libertas. Nam quibus, si malo abstinuissent, nihil omninò grave pati licebat : iidem,

dem, si in peccatum per voluptatem ruant, quam rationem decentem adducere poterunt, ne sibi ipsis causam pœnarum dedisse dicantur? Malum igitur aliquod est secundum nostrum sensum, aliud natura ipsa. Malum itaque natura ex nobis oritur, injustitia, lascivia, inconsiderantia, timiditas, invidia, cædes, veneficia, astutia, fallacia, & reliqua hujusmodi omnia, quæ animam ad Dei imaginem factam solent inquinare, & ipsius pulchritudinem aliquo modo inficere. Rursùs malum dicimus, quod triste, durumque sensibus sit nostris, ut corporis morbum, plagas, egestatem, ignobilitatem, pecuniæ damna, domesticorum amissiones: quorum quodlibet nobis à sapientissimo, & optimo Domino ad utilitatem inducitur. Divitias quidem aufert iis, qui malè illis utebantur, instrumentumque illis injustitiæ fuerant. Morbum inducit iis, quibus magis expedit membra habere impedita, & impetus ad peccandum tardiores. Mors venit, ubi finis adest vitæ jam expletæ, quem cuilibet ab initio fixit justum Dei judicium, longè nostram utilitatem pro-

ſpicientis . Fames, & ſiccitates, & inundationes communes quædam ſunt civitatum, ac gentium plagæ, hominum peccata immodica punientes . Ut enim benefacit medicus etiam ubi corpori moleſtiam, & dolorem infert (cum morbo namque bellum gerit, non cum ægroto) ſic & bonus Deus ſalutem omnibus per caſtigationem, & pœnam diſtribuit. Tu verò nequaquam medico iraſceris, ſi ex membris hæc incidat, illa urat, alia à corpore omninò amputet: ſed & pecuniam illi numeras, & ſervatorem vocas, quòd in parva corporis parte morbum curet, priuſquam ad totum corpus morbus perveniat. Quando civitatem videris terræmotu concuſſam ſuper incolas corruiſſe, aut navigium una cum hominibus in mari diſſolvi, contra verum medicum, & ſervatorem blaſphemam linquam movere non dubitas: quum te intelligere oporteat quod ii morbi laborantium hominum ad curæ beneficentiam, & utilitatem aſſumuntur, qui & moderati ſunt, & ſanabiles. Quando verò medicam curam ſuperat morbi malitia, neceſſaria eſt inutilis membri alienatio,

ne

ne morbi ejus continuatio cætera corporis vitalia percurrat. Ut igitur incisionis, aut inustionis non medicus est causa, sed morbus: sic item civitatum interitus ex nimia peccantium perversitate originem habentes, Deum ab omni querelæ causa liberant. At, inquis, si malorum non est causa Deus, quomodo dicitur: *ego sum, qui paravi lumen, & feci tenebras: faciens pacem, & creans mala?* & rursùs: *descenderunt mala à Domino super portas Hierusalem, & non est malum in civitate, quod Deus non fecerit:* Et in magno cantico Mosis: *Videte quod ego sum, & non est Deus præter me. Ego interficiam, & vivere faciam: percutiam, & ego sanabo?* Sed nihil horum apud eos, qui rectè scripturæ sensum tenent, Dei ut malorum authoris accusationem habet. Qui enim dicit: *ego præparo lumen, & facio tenebras*: creationis authorem sese per hæc, non mali alicujus conditorem significat. Ne igitur existimes aliam lucis, aliam verò tenebrarum causam esse: se ipsum dixit eorum, quæ contraria inter se videntur, secundum rationem factorem, & opificem esse: ne quæ-

ras

ras alium aquæ, alium aeris, & alium terræ opificem, quòd hæc ob qualitates contrarias inter se quodam modo pugnare videantur. Quod jam quidam ita esse sentientes in plurium Deorum opinionem venerunt. Facit autem pacem, & creat mala. Maximè quidem in te pacem facit, quandò per bonam doctrinam tuam serenat, ac tranquillat mentem, & affectus adversus animam insurgentes conciliat. Creat autem mala, hoc est, transmutat ipsa, & in meliorem statum, exitumque deducit, ut jam mala esse desinant, bonique naturam accipiant. *Cor mundum crea in me Deus*: non dicit: nunc crea, sed in malitia inveteratum renova: & ut duo creet in unum novum hominem, non ut ex non existente faciat, sed ut jam existentes mutet, atque renovet: ac si qua in Christo nova creatura. Et rursùs Moses: *nonne ipse pater tuus, qui possedit te, & fecit te, & creavit te?* Clarè hic post facturam creatio constituta nos docet, creationis nomen sæpenumerò pro renovatione positum esse. Itaque pacem faciens: sic pacem facit, ex eo, quod mala creat. Hoc est,

ex eo, quod mala in meliorem reducit statum. Deinde si pacem intellexeris eam securitatem, quæ sublatis bellis datur: & malum dicas labores, qui bellum gerentes sequuntur, expeditiones extorres, vigilias, sudores, vulnera, cædes, captas civitates, in servitutem redactiones, miserabilia captorum spectacula: denique quæcumque tristia in bellis eveniunt: dico justo Dei judicio fieri adversus eos, qui digni sunt supplicio, quod per bella infligitur. An tu non vis flagrasse Sodoma post impietates illas, & flagitia? An non cecidisse Hierusalem, & templum desolatum post horribilem in Dominum crudelitatem? Fieri autem aliter ista quomodo fas erat, nisi per Romanorum exercitum, quibus Judæi propriæ salutis inimici Dominum nostrum tradiderunt? ex quo quandoque mala ex bello iis, qui digni sunt, jure infliguntur. Illud quoque considera. *Ego interficiam, & ego vivere faciam: percutiam, & ego sanabo*. Recipe verbum, si vis, ita ut ex sententia promptum est. Timor enim simpliciores ædificat. *Percutiam ego, & sanabo*: & hoc seorsum consid-

ſiderare profuerit, utpote quod plaga timorem generet, ſanitas verò ad charitatem excitet. Licet attamen tibi altiùs de his, quæ dicta ſunt, ſentire? *Ego interficiam*, peccato videlicet, *& vivere faciam*, juſtitia. Quantum enim exterior homo noſter corrumpitur, tantum interior renovatur. Non igitur alium interficit, & alium vivificat: ſed eundem per ea, quæ interficit, vivificat: itemque per ea, quæ percutit, ſanat, ſecundum proverbium illud: *Quoniam tu baculo ipſum percuties, & animam ejus ex morte liberabis*. Caro igitur percutitur, ut anima ſanetur. Peccatùm perimitur, ut juſtitia vivat. Illud autem, quod ſupra memoravimus: *deſcendunt à Domino mala ſuper portas Hieruſalem*, ex ſeipſo habet expoſitionem. Quæ mala? ſonitus curruum, & equitum. Quando autem audiveris: *non eſt malum in civitate, quod Dominus non fecerit*: intellige hic Mali nomen vexationem, ac calamitatem ſignificare, quam Deus peccantibus ad delicta corrigenda infligit. *Afflixi*, inquit, *& fame preſſi, ut benefaciam tibi, antequam per intemperantiam prorsùs*

per-

perdantur, *& injustitiam cohibui*, *quemadmodum flumen forti quodam solet obice*, *& obstaculo contineri*. Hac itaque de causa civitatum, ac gentium morbi, siccitates aeris, terræ sterilitates, ac qui cuilibet in vita duri casus emergunt, quæ omnia ne malum ulteriùs progrediatur, efficiunt. Talia itaque mala à Deo immittuntur veris, ac natura ipsa malis resistentia. Hujuscemodi namque secundnm corpus afflictiones, & externæ molestiæ ad peccati compescendam licentiam à Domino excogitatæ sunt. Extinguit ergò Deus malum, non est ex Deo malum: quoniam, & medicus morbum tollit non morbum corpori infligit. Civitatum verò interitus, terræmotus, inundationes, exercituum clades, naufragia, & omnes denique calamitates illæ, quibus magna hominum multitudo simul absumitur, sivè ex terra, sivè ex mari, & aere, ex igne, seu quacunque nascuntur causa propter superstites ad sobrietatem reducendos eveniunt, ipso Deo publicis pœnis publicam castigante iniquitatem. Malum itaque propriè peccatum, hac verè dignum appellatio-

ne

ne à nostra voluntate pendet: propterea quod in nobis situm est, vel abstinere à malitia, vel malum committere. Reliqua verò, quæ appellantur mala, partim ad exercendos dantur bonos, & declarandam fortitudinem (quemadmodum Job filiorum privatio, totius substantiæ brevi tempore amissio, corporis plagæ, ac cicatrices) partim, ut medela eorum, qui deliquerunt, sicuti Davidi accidit domus confusio, injustæ cupiditatis pœnas danti. Rursùs autem aliud ex justo Dei judicio malorum, hoc est, pœnarum genus provenire cognovimus ad homines in vitium pronos prudentiores faciendos, ut Dathan, & Abiron terra vivos devoravit, barathris, & hiatibus telluris subtus apertis. Nam hic quidem ipsi propterea nihilo meliores evaserunt (quomodo enim, quum ad infernum descenderint) attamen reliquos exemplo cautiores, prudentioresque reddiderunt. Sic & Pharao una cum omni exercitu in mari periit. Sic demum delecti sunt, qui Palæstinam anteà inhabitarunt. Ex quo, quanquam dicit Apostolus vasa iræ aptata in perditionem, ne factu-

cturam Pharaonis malam fuiſſe exiſtimemus. Nam ita culpa juſtiùs transferretur in ipſius conditorem. Sed ubicunque audiveris vaſa, intellige, quod noſtrum quilibet ad aliquem factus eſt uſum. Quemadmodum in magna domo vas aliud eſt aureum, aliud argenteum, aliud teſtaceum, ligneum aliud. Hujuſcemodi ergò materiis voluntas cujuſque comparatur. Nam vas aureum is eſt, qui mente, moribuſque ſimplex, ac ſine dolo eſt. Argenteum item, qui illo paulò eſt inferior dignitatis, ac prætii æſtimatione. Teſtaceum eſt, ac figulinum, qui terreſtria ſapit, & frangi, conterique ſit aptus. Ligneum, qui per peccatum facilè ſordet, & igni æterno materiam præbet. Sic etiam iræ vas eſt, qui omnem in ſe diaboli operationem, quaſi vas quoddam ſuſcepit, & propter fœtorem, quem habet ex corruptione, ad nullum uſum aptari poteſt, ſed dignus eſt, qui pereat. Quamobrem quando jam ipſum Pharaonem conteri erat opus, ſapiens animarum noſtrarum rector uſque adeò illum ſuſtinuit, ut clarum, celebreque omnibus exemplum eſſet, & aliis

uti-

utilis ob mala tolerata (quando ipse propter nimiam malitiam insanabilis erat) redderetur . Obduravit eum longanimitate , ac pœnæ dilatione ipsius intendens malum , ut ad extremum ejus iniquitate ad summum gliscente, justius super eum Dei judicium ostenderetur. Idcircò plagas modicè ab initio infligens, ac paulatim adaugens ejus duritiem minimè flexit; quin reperit eum, & initio Dei contemptorem , & illatas post pœnas ex consuetudine tolerantem. Et ne sic quidem morti illum tradidit, donec ipse sese præcipitem dedit, dum cordis arrogantia fretus iter justorum ausus est ingredi , ac existimavit, quemadmodum populo Dei, sic & sibi mare rubrum permeabile fore . Hoc itaque tu frater cognoscens, & apud te mali species distinctas habens, nosce unum omninò verè malum esse peccatum , cujus finis perditio est: & alterum apparens tantùm malum sensibus afflictionem præbens , vim alioqui boni habens, quemadmodum sunt calamitates , & incommoda , quæ vim peccata coercendi habent, quorum fructus salus est animarum æterna . Desine divinam incusare,

providentiam, nec omninò velis Deũ ſubſiſtentiæ mali authorem putare, aut aliquam mali ſubſiſtentiam imaginari. Non enim ſubſiſtit, velut animal, iniquitas, neque ipſius eſſentiam ſubſiſtentem ſtatuere poſſumus. Nam malum boni privatio eſt. Oculus creatus eſt, cæcitas ex oculorum perditione provenit. Ex quo niſi oculus corruptibilis fuiſſet naturæ, nunquam cæcitas ſucceſſum habuiſſet. Sic, & malum in propria ſubſiſtentia non eſt, ſed in animæ læſionibus gignitur. Non enim increatum eſt, ſicut impii dicunt, qui conditione parem bonæ naturæ malam ponunt: ſiquidem ambo principio carent, & generatione priora ſunt, neque tamen creatum eſt. Si autem omnia ex Deo, quomodo malum ex bono? Non enim turpe ab honeſto, neque vitium à virtute. Lege mundi creationem, & invenies ibi cuncta bona, imò valdè bona. Non ergò malum cum bonis creatum eſt. Sed neque creatura intellectiva à Deo facta cum iniquitate commixta eſt. Si enim corporalia in ſeipſis malum ſimul creatum non habuerunt, quomodò intelligibilia

lia tantùm, & puritate ac sanctitate differentia communem cum malo hypostasim habuissent? Sed est malum omninò, & ipsius palàm fit actus per omnem vitam diffusus. Unde igitur, inquies, habet essentiam, si neque sine principio est, neque factum est? Interrogentur talia quærentes. Unde morbum? unde corporis læsiones? Non enim increatus est morbus, neque item Dei opus. Sed benè creata sunt animalia convenienti eis præparatione secundum naturam, & membris distincta in vitam prodierunt. In morbos verò secundum naturam ceciderunt à sanitate deficientes, vel ob malam diætam, seu ob aliquam aliam causam, quæ corporibus accidere solet: corpus itaque Deus fecit, morbum minimè fecit: & animam similiter Deus fecit, non autem peccatum. Vitio autem anima contaminata est degenerans ab eo, quod ex natura facta est. Quod autem erat illi peculiare bonum? Quod Deum habebat assiduè conjunctum, illique per charitatem coadunata erat: qua excidens, variis, & multimodis se malis contaminavit. Unde autem omninò ma-

li

li capax eſt ? Quoniam libero facta eſt arbitrio, quod creaturæ rationis participi maximè conveniebat. Soluta enim hæc omni neceſſitate, & vitam in ſua poteſtate conſtitutam ex Deo accipiens, propterea quod ad imaginem ejus creata eſt, bonum quidem intelligit, & jucunditatem illius novit, poteſtatemque habet, ac facultatem in boni contemplatione, & ſpiritualium fruitione manendi, ac vitam ſibi connaturalem conſervandi: habet autem & à bono deflectendi quandoque facultatem. Hoc autem ei contingit, quum beatæ oblectationis ſatietate affecta, & veluti veterno quodam gravata, ac è ſtatu ſuperiore delapſa, turpibus ſe carnis libidinibus immiſcet. Erat aliquando Adam in ſublimi non loco, ſed arbitrio, quando ſtatim anima ſumpta in cœlum lætus aſpexit, ex iis, quæ vidit maximè gaviſus, ac eum vehementer amans, à quo beneficium tantum, & æternæ vitæ fruitionem acceperat: qui Paradiſi intereſſe delitiis, & æquè cum Angelis, & Archangelis regnare, ac vivere, & divinæ vocis participem eſſe dederat. Cum his omnibus per Deum potiretur,

tur, ſtatim rebus omnibus refertus, quaſi præ ſatietate luxurians, quod corporeis videbatur oculis delectabile intellectuali pulchritudini prætulit, & ventris ſaturitatem ſpiritali delectatione potiorem habuit. Ex quo ſtatim è Paradiſo pulſus, extra beatam illam fuit vitam. Non ergò ex aliqua neceſſitate, ſed ſuapte temeritate malus eſt factus. Quapropter, & propter pravam voluntatem peccavit; propter peccatum verò mortuus eſt: ſtipendia namque peccati mors eſt. Quantum enim abſtitit à vita, tantum morti propinquavit. Vita namque Deus, vitæ verò privatio mors. Itaque mortem ſibi Adam ob diſceſſum à Deo paravit, ſecundum quod eſt ſcriptum: *Ecce omnes, qui elongant ſe à te, peribunt.* Quamobrem ſanè apparet Deum mortem nequaquam feciſſe; ſed noſmetipſi ex mente prava nobis ipſis eam ſponte attraximus: quam Deus ob eas, quas ſuprà narravimus, cauſas minimè prohibuit, ne immortalem in nobis morbum conſervaret. Quemadmodum vas figulinum rimas oſtendens, non prius igni ad perficiendum traditur, quàm à figulo reconcinne-

tur,

tur, emendeturque. Sed cur in ſtructura, inquis, non habuimus, ut peccare non poſſemus, ita ut ne volentibus quidem contingeret, ut peccaremus? Quoniam, inquam, & tu ſervos non quando vinctos in cuſtodia retines, benevolos eſſe tibi exiſtimas, ſed cum ſpontè omnia, quæ erga te oportet, videris agere: ſic item Deo eum puta fore amicum, non qui coactus, ſed qui ſponte ſua, virtuteque illi obtemperat. Virtus verò ex voluntate perficitur, non ex neceſſitate. Voluntas autem ab illis pendet, quæ in nobis ſunt ſita. Quod verò in nobis ſitum eſt, voluntarium, & ſpontaneum eſt. Qui ergò factorem reprehendit, quòd non tales nos natura fecit, qui peccare nequeamus, nihil aliud opinari videtur, quàm naturam ratione carentem ea, quæ rationis eſt particeps, eſſe potiorem: & illa, quæ non moventur, nec mente ducuntur iis, quæ eligũnt, judicant, conferunt, omninò præſtare. Hæc & ſi per tranſitum, attamen non ab re dicuntur, ne in profundum inanium cogitationum ruens, præterquam quod quæ inquiris non aſſequeris, Deum etiam amit-

tas. Desinamus ergò eum, qui sapiens est, velle corrigere. Desinamus, inquam, meliora quàm Deus fecerit indagare. Quod si ob nostri ingenii debilitatem omnia Dei consilia sigillatim ratione attingere nequimus, illud attamen animis nostris infixum, ac in confesso sit, nihil malum ab eo, qui bonus est, fieri. Hinc consequenter alia quæstio de diabolo nascitur: Unde diabolus sit, si non ex Deo sunt mala. Quid igitur dicemus? Satisfacilis est responsio. Eadem omninò ratio nobis ad istam quoque quæstionem satis erit, quam & de hominis iniquitate suprà commemoravimus. Unde enim iniquus est homo? Ex ipsius libera voluntate Unde malus diabolus? Ex eadem penitùs causa. Habebat enim & ipse liberam vitam, & insitam sibi potestatem aut Deum sequendi, aut à bono discedendi. Gabriel Angelus est, & Deo semper astitit: Satanas item Angelus, & ex ordine suo prorsùs cecidit. Et illum propria voluntas in cœlo retinuit, hunc verò voluntatis libertas cœlo dejecit. Poterat enim & ille à Deo deficere, & iste non excidere. Sed illum insa-

tia-

tiabilis dilectio Dei ſervavit: hunc à Deo relictum eſſe oſtendit per peccatum alienatio. Malum igitur hoc tantum à Deo alienatio. Nam parva quidem oculi converſio, parvus nutus, ut ſolis particeps aliquis exiſtat, vel, in vmbra remaneat, facit. Nam & illic in promptu eſt, ut ſuſpiciens illuſtretur: avertens verò intuitum neceſſariò in tenebris erit. Sic & diabolus malus Deo adverſatur, non ex natura, ſed mala voluntate habens malitiam. Quæris igitur unde illi ſit contra nos bellum? Quoniam cum omnis ipſe mali promptuarium exiſteret, invidiæ quoque morbum in ſe recepit, & invidit nobis illatum honorem, nec facilè tulit vitam in Paradiſo beatam ducere. Quamobrem dolis hominem aggreſſus, eadem ambitionis cupiditate, quam ipſe ab initio habuit, velle ſimilem eſſe Deo, hac rursùs ad decipiendum nos uſus lignum oſtendit, per cujus deguſtationem pollicitus eſt hominem ſimilem fore Deo. *Si comederitis*, inquit, *eritis veluti dii malum, ac bonum cognoſcentes*. Non inimicus igitur nobis à Deo conſtitutus eſt, ſed ipſe ex invidia

ſe nobis oppoſuit . Animadvertens enim ſe ex Angelorum ordinibus expulſum, non tulit terrenam creaturam ad Angelorum dignitatem per virtutis profectum exaltari . Quoniam itaque inimicus eſt factus, inimicitiam nobis Deus erga illum indidit, ubi ſerpenti , quo ille malus abuſus fuerat, dixit, ſed ita, ut minas ad Satanan referret: *Inimicitiam ponam inter te , & inter ſemen illius* . Revera namque noxiæ ſunt amicitiæ, quæ cum malitia contrahuntur. Nam ea eſt amicitiæ hujus lex & vis, ut per ſimilitudinem malitiam conjunctis indat. Quamobrem rectè Proverbium dicit: *Corrumpunt bonos mores colloquia prava* . Quemadmodum enim in peſtilentibus locis ſenſim attractus aër latentem corporibus morbum injicit: ſic item in prava conſuetudine, ac converſatione, maxima nobis mala hauriuntur, etiam ſi ſtatim incommodum non ſentiatur . Idcircò nobis adverſus ſerpentem irreconciliabilis indita eſt inimicitia . Si autem inſtrumentum hoc tanto dignum odio eſt, quanto magis illi nos, qui ſerpentem adegit, adverſari oportebit ? Sed cur , inquis,

quis, lignum hoc in Paradiso fuit, per quod nos diabolus tentaturus erat? Si enim deceptionis escam, ac materiam non habuisset, quonam modo nos sibi obtemperando ad mortem deduxisset? Quoniam mandatum esse oportuit, ut nostram erga Deum probaret obedientiam. Ideò planta pulcherrimis fuit fructibus scatens, ut in abstinentia voluptatis animi continentis virtutem ostendentes, patientiæ coronam promereremur. Cibum autem non solùm præcepti contumacia secuta est, sed etiam nuditatis cognitio. *Comederunt*, inquit, *& aperti sunt oculi eorum, cognoveruntque, quod nudi essent*. Oportebat enim se nudos minimè cognovisse, ne mens hominis ad eorum cupiditatem, quæ deesse viderentur, traheretur. Amictum namque nuditatis defensionem, solatiumque esse existimavit, & omninò per carnis curam ab observantia Dei abstractus est. Cur, inquis, non statim eis ab initio amictus sunt præparati? Quoniam hæc nec naturalia esse, neque ex arte decebat. Nam naturalia propria sunt brutorum, ut pennæ, setæ, pellium crassitudines,

quæ & frigoribus resistunt, & æstus ferunt, in quibus nihil alterum ab altero distat, æquali omnibus natura existente. Homini autem secundum proportionem in Deum charitatis præstantior bonorum distributio conveniebat. Quæ verò ex arte sunt opera, negotium generant, quod ut maximè homini noxium, vitandum erat. Quamobrem Deus nos ad Paradisi vitam revocans, ex animabus nostris curas evellere conatur, dicens: *Nolite animæ vestræ cogitare, quid edatis, aut corpori quid induamini.* Neque itaque vestis ei ex natura, neque ex arte conveniebat. Sed alia parata erant, si virtutem ostendisset homo, insignia, quæ ex gratia Dei erant illum illustratura, utpote fulgores quidam, quales sunt Angelorum, qui omnem florum varietatem, omnem astrorum claritatem superarent. Hac igitur de causa non vestes ei statim præbitæ: quoniam virtutis præmia illi reposita erant, quæ consequi vis diabolicæ tentationis non permisit. Adversarius igitur nobis est diabolus ob antiquam ex ejus insidiis ruinam, ita Domino disponente, ut cum illo lu-

ctaremur: quò per obedientiam redintegrata lucta de inimico triumpharemus. Utinam quidem non esset factus diabolus, sed in eo ordidine, quo ab initio constitutus fuit, remansisset. Postquam verò ab authore suo defecit, inimicus Dei, inimicus item hominis ad ipsius imaginem constituti factus est. Nam ideò osor hominum existit, & ideò Deo rebellis. Nos verò, ut ejus opus odio persequitur, ut ejus imaginem insectatur. Ille igitur sapiens, & providentissimus rerum humanarum dispensator, ejus utitur ad nostram exercitationem malignitate; quemadmodum medicus viperæ veneno ad salutarem medicamentorum præparationem. Sed quisnam erat diabolus? Ex quo ordine? Ex qua dignitate? & unde Satanas cognominatur? Satanas igitur, quòd bono adversetur, appellatur. Id enim significat vox Hebræorum, sicut in libris Regum dicitur: *Excitavit*, inquit, *Dominus Salomoni Satan*, *Ader regem Syrorum*. Diabolus verò dicitur, quoniam idem, & in peccato nobis cooperatur, & accusator noster est. Gaudet ex interitu no-

ſtro, noſque eorum gratia, quæ commiſſa ſunt, traducit. Natura autem ipſius incorporea eſt ſecundum Apoſtolum, dicentem: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus ſpiritualia nequitiæ*. Dignitas verò ipſius principalis eſt. *Adverſus enim principes, & poteſtates*, inquit, *adverſus rectores tenebrarum harum*. Locus autem principatus aër, ſicut idem memorat: *Contra principatus, & poteſtates aeris, Spiritus, qui operatur nunc in filios inobedientiæ*. Idcircò & mundi princeps appellatur, quoniam circa terras eſt ejus imperium, quod, & Dominus ipſe teſtatur: *Nunc judicium eſt mundi. Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras*. Et rursùs: *Venit princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam*. Quoniam autem dicitur de exercitu diaboli ab Apoſtolo: *Spiritalia nequitiæ in cœleſtibus*: ſcire oportet, quod ſcriptura cœlum aerem ſolet appellare, ut eſt illud: *Volatilia cœli*, Et alibi: *Aſcendunt uſque ad cœlos*. hoc eſt, in aeris ſublimitatem longè tolluntur. Ideò Dominus Satanan vidit ut fulgur de cœlo cadentem,

hoc

hoc eſt, ex proprio principatu ad ima ruentem., ut planè ab iis, qui in Chriſto ſperant, conculcaretur. Dedit enim diſcipulis ſuis virtutem ſerpentes, ac ſcorpiones conculcandi, & contra omnem inimici potentiam. Quoniam itaque ipſius impia tyrannis expulſa eſt, & locus hic terreſtris ob ſalubrem ejus paſſionem purgatus eſt, qui omnia, quæ in cœlo ſunt & in terris pacavit: deinceps nobis regnum cœlorum nuntiatur, Joanne dicente: *Appropinquavit enim regnum cœlorum*. Item Domino ubique Evangelium regni prædicante: & anteà clamantibus Angelis: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax*. Sed & ingrediente Hieroſolymam Domino noſtro collætantes Judæi clamabant: *Pax in cœlis, & Gloria in altiſſimis*. Denique mille ſunt victoriæ hujus voces, quæ ultimam inimici everſionem teſtantur, ut jam nullum negotium, aut certamen nobis relictum ſit ad ſuperos conſcendendi. Jam via facta eſt, impedimentis adverſarii ſublatis, qui à bona nos via avertebat: deinceps lætam continuationem habemus, & de ligno vitæ continuò deguſtamus,

cujus nos esse participes ab initio per serpentis insidias non licuit. Ordinaverat enim Deus ardentem gladium, qui hujus ligni vitæ viam custodiret. Quem nos alacriter sine impedimento prætereuntes, facilè in bonorum omnium degustationem, & fruitionem ingrediamur, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria, & imperium in æterna sæcula. Amen.

EJUSDEM SANCTI BASILII MAGNI HOMILIA

In illud Mosis, *Attende tibiipsi.*

Godefrido Tilmanno Cartus. interprete.



Qui nos condidit Deus, in hoc impertivit sermonis usum, ut alius alii sui cordis arcana revelet, communisque naturæ intuitu suo quisque proximo ex abstrusissimo recessu

sui pectoris, quasi ex intimo quopiam conclavi sua consilia, cogitationesque depromat: si enim ipsi viveremus anima omnium oculis conspicua, & nuda: inter nos mox conveniret per mutuam cogitationum intelligentiam. Nunc quando anima carnis adoperta velamine multivarias comminiscitur secum, ac versat cogitationes, & verbis opus habet, & nominibus, ut quæ in reconditiore mentis secessu delitescunt, in apertum evulget. Mens igitur nostra mox, ubi vocem apprenderit cujuspiam rei significativam, perinde ac trajectitia quadam navicula, sermone ipso prætervehitur, qui simul ut trajecit aerem, è loquentis ore ad aurem usque trasmittitur audientis. Quod si tranquillam continget internancisci, altamque quietem: ac si placido succedat portui, & ab inclementia maris seposito navis, ita sermo in discipulorum se insinuat aures, & appellit. E' diverso, si quis à parte auditorum tumultus, quasi procella quædam asperior contra aspirarit: medio in aere dissolutus sermo, veluti naufragio absorptus, pessum ibit. Nunc igitur sermoni huic tranquil-

lum facite, ſtudio placidæ taciturnitatis. In eo enim aliquid forſan conſpicietur utile, nec indignum quod hinc vobiſcum exportetis. Veritatis ſermo captu eſt apprimè difficilis, aures minimè attentas præterlabitur facilè, ac fugit. Ita enim Spiritus ſanctus ſuum moderatus eſt, ac diſpenſavit ſermonem, ut contractus ſit, & brevis: quò fit, ut verborum compendio multa explicet, ac proinde propter conciſam brevitatem facilè memoria tenetur. Eſt enim ſermonis virtus nativa hæc, ut quæ ſignificantur, non occultet obſcuritate, nihilque complectatur, quod ſupervacaneum ſit, aut vanum, vel certè circumfluat ullis rebus fruſtraneis. Hujuſmodi ſanè eſt nobis recens lectus ex Moſeos libris, cujus item vos memores eſſe prorsùs mihi ipſi perſuadeo, qui ſtudioſi eſtis, niſi forſan ob conciſám brevitatem ipſam vox aures veſtras prætercurrit. Hoc ſe habet modo ſententia; *Attende tibiipſi, ne quando fiat verbum occultum in corde tuo, iniquitas.*) Facilè admodum labimur in peccata, quæ vel cogitatione admittuntur, eoque qui finxit ſigillatim corda noſtra probè

con-

conſcius maximam peccatorum partem ſolere perfici ſubitario, & acri illo motu propoſiti, aut cogitationis improviſæ, principem illam animæ puritatem, quæ præcipua in parte ejus conſiſtit, nobis edixit retinendam, atque tuendam. Qua enim parte alacriores ad peccandum ſumus, & toti eò propendemus, tanto illam æſtimavit dignam eſſe majore diligentia, & provida cautione. Ut enim quique rei medicæ experientiſſimi imbecilliora corpora multò antè morbum præmuniunt præſervativis, & ſalutaribus monitis: itidem, & ille providus, communiſque curator, ac varax cum primis animarum medicus, qua nos vidit parte ad peccatum longè eſſe propenſiores, hanc antevertit, ut fortiore quopiam antidoto præſervatorio communiret. Quæ etenim corpore perficiuntur actiones, tempus deſiderant, non qualecunque, ſed opportunum, labores etiam, & cooperarios, reliquum deníque commeatum, ſive impenſam. E'diverſo, animæ motiones conficiuntur nulla temporis mora: ut nihil fatigeris, aut laſſeſcas, peraguntur: conſtant nullo tuo negotio, aut moleſtia:

ſtia:

stia: illis obeundis nullum non idoneum est, nullum intempestivum tempus. Et quidem alicubi invenire sit, qui cum fastu ingrediatur, & arrecto supercilio insolescat authoritate fretus, idem alioqui externè fucatam speciem præferat moderatæ mentis, desideatque subinde illorum intermedius, qui ipsum virtutis nomine deprædicent beatum, cum is interim interiore mentis cursu abit ad peccati locum in retrusissimo illo cordis motu, & agitatione. Quæ studio consectatur, & expetit, sola jam vidit imaginatione, visus est, & unius alicujus secum comminisci, & effigiare congressum familiarem, planè indecorum. Utque semel omnia dicam, quum is intra arcanam illam cordis officinam, evidentem sibi, & confessam voluptatem depinxerit, peccatum jam illud intestinum operatus est, nullius licet testimonio probabile, nempè omnibus eatenus ignotum, tantisper dum veniet, qui revelabit occulta tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Providè igitur, & observa, nequando verbum occultum in corde tuo efficiatur delictum. Qui enim

in

in mulierem oculum defixerit ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo. Quò fit, ut actiones quidem corporis, à non paucis intercidantur: qui autem destinato voluntatis proposito peccat, una cum præpete, & celeri agitatione cogitationum, peccatum jam explevit. Ubi igitur ad peccandum proclivior via est, ibi cautio prærogata est celerior. Palàm enim, ac descripto contestatur Moses, ne quando verbum occultum in corde tuo efficiatur peccatum. Magis verò ad ipsum sermonis reccurramus exordium: Ait: *Attende tibiipsi*. Quodvis tandem animal ad conservandam propriæ substantiæ naturam subsidia acepit ab omnium opifice Deo sibi inserta familiariter. Quin & (si tamen studio propensiore edisceere voles) partem multò maximam brutorum deprehendere possis id habere citra doctrinam vllam, ut noxia fugitent, & aversentur: è diverso ad ea naturæ quodam ductu festinè rapiuntur, quæ suo usui sperant profutura: eoque nos erudiens Deus præceptum hoc momenti hauquaquam mediocris præscripsit, ut quod illis naturæ beneficio, nobis idem
vel

vel ſuffragio rationis fieri contingat: quodque citra operam præceptoris, vel à brutis ipſis ſit, id ipſum à nobis perficiatur per attentionem, & aſſiduam rationis conſiderationem, & ut ſolerter ac ſtrenuè ſubſidia, quæ nobis Deus indulſit, conſervemus: averſemur quidem peccatum, ut aſſolent bruta venenatum pabulum: juſtitiam verò affectemur, velut illa herbas edules conſectantur. *Attende igitur tibiipſi*, quò diſcernere poſſis quidvis noxium à ſalubri. Sanè attentio duplex cùm ſit (eſt enim harum prior, qua iis fixè intendimus oculis corporis, quæ viſibilia ſunt: eſt & altera, qua per vim animæ intellectilem preſſiùs attenti incumbimus contemplationi rerum inviſibilium) ſi quidem præceptum hoc in oculorum actione aſtruemus eſſe ſitum: è veſtigio deprehendemus nullo id pacto perfici poſſe. Qui enim poſſit unus aliquis colluſtrare ſe totum, & omni ex parte deprehendere oculo corporis? At ne ipſe quidem oculus in ſeipſum vi viſiva utitur, non ad verticem uſque pertingit capitis, terga non videt, aut ſcapulas, non totam ipſam faciem, non de-

denique in inteſtina parte reconditorum viſcerum diſpoſitionem. Impium proinde ſit aſſerere præcepta Spiritus ſancti impoſſibilia eſſe obſervatu. Relinquitur itaque, ut præceptum id de ſpirituali mentis actione eſſe ſancitum interpretemur. *Attende igitur tibiipſi*:) hoc eſt, teipſum omni ex parte colluſtra, & circumſpice, animæ oculum ad ſolertem tui ipſius cuſtodiam habeto pervigilem, & inſomnem. Per medios ingrederis laqueos, ab inimico occultati laquei nullo non loco defixi ſunt. Circumſpice igitur, & luſtrato omnia, quò è laqueis ſervere? Dorcadis inſtar, & ut avis è funiculis. Neque enim laqueo prehendi poſſit Dorcas, ſive caprea, quòd viſus ſit acerrimi, cognomen nimirùm ſortita ab acumine ſui viſus. Avis porrò ſiquidem ſibi attenderit, in ſublime elata levitate pennulæ altior redditur aucupum inſidiis. Provide igitur, ne brutis animantibus ad attentam tui cuſtodiam conſpiciare deterior, ne quando irretitus laqueis, & captus, præda efficiaris diaboli; vinculis ipſius adſtrictus, & ad illius voluntatem abductus. *Attende*

ergò tibiipsi:) hoc est, non tuis, non iis item, quæ circa te sunt, sed tibi ipsi, & soli attendito. Ipsi enim nos & aliud sumus, & aliud nostra sunt, aliud item, quæ circa nos convisuntur. Sanè sumus nos, & anima, & animæ mens, quatenus ad conditoris nostri imaginem sumus facti. Nostrum autem corpus est, & qui per ipsum suum munus obeunt, sensus. Circa nos porrò sunt pecuniæ, artes, & reliqua vitæ suppellex, atque apparatus: Quid igitur proposita præscribit sententia? Attende, non carni, at neque immodico studio confecteris ejus commoditatem, putà, sanitatem, venustam pulchritutinem, multivariam voluptatum fruitionem, & oblectationem, non longævitatem, neque pecunias, neu gloriam, & dignitatis amplitudinem admirere. At ne tu quæcunque tandem vitæ istius temporariæ subsidia tibi suppeditant uberiùs, tanti esse duxeris, ut præ horum studio, & anxia solicitudine, præcipuam vitæ tuæ portionem aspernere, & negligas: quin attende potiùs tibiipsi: hoc est, animæ tuæ: hanc adornato, hujus attentam gerito curam, adeò ut omnem

nem sorditiem, quam ex nequitia contraxit, sedula cum attentione ab ea submoveas, & amoliaris: nec minore studio notam omnem turpitudinis, & dedecoris improbitate malitiæ illi inustam fac obliteres, & expurges: atque ita demum contendito eam elegantia omni, quæ ex virtute proficiscatur, exornare, ac perpolire. In examen teipsum advoca, quis ipse sis. Tuam ipsius naturam fac ut noveris. Nam corpus quidem mortale, anima verò immortalis est. Scito duplicem nobis propositam esse vitam. Carni quidem propria est vita citato admodum cursu prætercurrens: quæ autem congener animæ est, & cognata, nullam admittit circumscriptionem. Attende igitur tibiipsi, ut ne his, quæ moritura sunt, quasi sempiternis bonis fixiùs adhærescas: neu aspernere sempiterna tanquam aliquando sint desitura. Carnem despicito, decidua enim est, & labilis: curæ sit tibi anima, res enim immortalis. Omni cum diligentia tibiipsi intentus esto, ut quod commodum utrique est, & utile, noveris dispertiri. Carni quidem alimoniam, & integumenta: animæ verò

rò dogmata pietatis, non incivilem vivendi canonem, exercitationem virtutis, improbarum affectionum emendationem. Cave corpus pinguiore opimes sagina, neu studium impenderis comparandæ corpori carnulentiæ. Quum enim concupiscat caro adversus spiritum, spiritus verò adversus carnem, hæc porrò inter se pugnant, & adversantur: provideto, ne fortè dum plus æquo indulges carni, pejori vires suggeras quibus invalescat. Nam quemadmodum in staterarum momentis contingit, unam si depresseris lancem, velis nolis illi oppositam tantò reddes leviorem: consimilem in modum assolet in corpore, & anima contingere. Unius exuberans copia necesse est ut alterum imminuat, & illi addat inopiam. Corpore etenim cupediis, ac lautitiis meliusculè habito, & carnulenta obesitate degravato, necesse est mentem ad cognatas sibi actiones tanto reddi minus strenuam atque enervem prorsùs. E' diverso, anima si commodè habet, perque continentem bonarum rerum meditationem ad magnitudinem surrigitur justam, ac se decentem, consequi videtur

detur per hoc intabeſcere, & eliquari ejus corporis habitudinem. Hoc ipſum proinde præceptum cùm infirmis eſt utile, tum maximè congruit valentibus robore. Infirmitate enim laborantes adhortantur medici, ſibiipſis ut attendant, neu quidvis negligant concernentium medelam, ac ſoſpitatem. Nihilo ſecius ſermo ſalutaris iſtius mandati, nempè animarum noſtrarum medicus miſerè affecta noxa lethalis peccati perſanat animam exiguo hoc auxiliari antidoto. Itaque attende tibi ipſi, ut pro delicti proportione hinc quoque mutueris ex admota tibi medela, valetudinis inſtaurandę ſubſidium. Magnum eſt, & grave peccatum? multa opus habes confeſſione, lacrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indivulſo, & continenti jejunio. Levis eſt, nec intoleranda offenſio? Huic quoque exæquetur pœnitentia. Tantum hoc eſt: Attende tibiipſi: ut internoſſe poſſis, rectène, an ſecùs valeas. Pleroſque enim, cum alioqui ægrotent non mediocri morbo, nec medicabili contingit per nimiam ſui incogitantiam neſcire hoc ipſum quia ægrotant.

grotant. Sanè ex hoc mandato non leve eſt, quod decerpitur emolumentum, vel iſtis quoque, qui ad obeunda quævis munia robore prævalent. Itaque hoc idem, & ſanat ægrotos, & ſanis robur confirmat, ac perficit. Quiſque enim noſtrum, qui hac ſententia erudimur, adminiſter eſt unius earum actionum, quæ juxtà Evangelii doctrinam in claſſes diſtinctæ nobis ſunt, & diſpoſitę. In magna etenim, & illuſtri familia, in hac nempè Eccleſia non vaſa modò conviciuntur omnigenæ ſpeciei, aurea, argentea, lignea, & teſtacea. Sunt inſuper, & artes omnigenæ exercitationis. Habet enim domus hæc, quæ Eccleſia viventis eſt Dei, venatores, viatores, architectos, ædificatores, agricolas, paſtores, athletas, milites. Hiſce omnibus breve hoc verbum nihil indecorè poſſit accommodari, ſingulo cuique ingerens & exactam operis obeundi cognitionem, & ad id abſolvendum ſtudium propenſæ voluntatis. Venator es à Domino emiſſus, qui dixit: *Ecce ego mitto multos venatores, & venabuntur eos ſupra omnem montem*. Attende igitur multa cum diligentia,

ne

ne fortè fugiat te præda, ut efferatos per improbitatem, verbo veritatis convictos Salvatori offeras. Viator es ei assimilis qui orabat: *Gressus meos dirige?* Attende tibiipsi, ne quà exorbites, neu ad dexteram deflexeris, aut sinistram, progreditor via regia. Architectus solido, tutove in loco jaciat, & collocet fidei fundamentum, quod est Jesus Christus. Ædificator, quo pacto ædificet, videat; ut ne ligna, non fœnum, neque calamum: sed aurum, argentum, lapides pretiosos. Pastor es? attende, ne quid te prætereat eorum, quæ ad obeundum munus istud pastorale attinent. Hæc porrò quæ tandem sunt? Tribulatum pecus, & erraticum convertito: quod conquassatum est, & contritum colligato: quod ægrotum, sanato. Agriculturæ ne professor? Ficum, infructuosa si est, circumfodito, illique ingerito quæ conductura noveris ad edendos fructus. Miles? collabora Evangelio milita bonam militiam contra spiritus nequitiæ, adversum vitiosas carnis affectiones, induitor omnem armaturam Dei, ut probes te ei, sisque gratiosus duci tuo, qui huic te

mili-

militiæ allegit: provide, ut nullis implicere vitæ istius negotiosis, & perplexis curis. Athleta es? attende tibiipsi, ne quam ex legibus athletico agoni præscriptis inveniare transgressus. *Nam nemo coronatur, nisi qui legitimè certaverit.* Imitare, Paulum, & cursu contendentem, & in palæstra colluctantem, & in agone pugilari decertantem. Ut strenuus pugil ipse habeto animæ oculum nusquam evariantem, sed attentum, ac pervigilem. Præmuni, ac tuere passis manibus partes, quarum plaga lethalis sit. In adversarium, immotum occulum intendito fixiùs. In stadiario cursu, qui tibi præcurrunt, in eos te extendens fac assequaris: *sic currito, ut prævertas.* In luctamine, repugna invisibilibus adversariis. Per vitæ istius curriculum talis, ut perseveres, hæc sancit sententia, nimirùm animo ut sis non supino, aut concidente, sed arrecto: non dormiturienti, sed pervigili, ac sobrio, quique multa cum vigilantia præsens sit, & norit sibi præesse. Cupientem me singula percensere hic me deficiet dies, cum eorum munia, qui Evangelio Christi coope-

ran-

rantur: tum etiam vim præcepti iſtius, ut in omnes omnium ordines nativam ſuam vim non incongruè exerat. (*Attende*, inquam, *tibiipſi.*) ſobrius eſto, præſenti conſilio præditus, tenax ſis, obſervanſque præſentium, futuri providus: ut ne quod jam ſuppetit quidem, & in ære tuo eſt, per ſocordem, & ignavam ſegniciem à te excutias, at neque eorum, quæ non ſunt, nec futura forſan ſunt, quaſi in manibus ſint, horum certò tibi promittas fruitionem. Hæc ne animi ægritudo ſolet iſtis adoleſcentibus natura irrepere, ut per mentis levitatem ſe jam tenere putent, quæ vel ſpe ſola præſumpſerunt? Hi enim ſi quando otium interna nciſcuntur vel ſolitudinis, vel quietis nocturnæ, imaginationem comminiſcuntur, & ſecum effigiant rerum, quæ nuſquam ſunt. Abeunt in omnia præcipites, & divagantur per facilem mentis inconſtantiam. Pro comperto ſibi proponunt vitæ ſplendorem, claras, & illuſtres nuptias, fœcunditatem prolis, longævam ſenectutem, à nemine non exhibendum honorem. At interim nulla in re quum ſpem ſiſtant, ad ea

 pro-

gressi,quæ in hominibus habentur prę-stantissima, majorem in modum intumescunt. Ædes possident luculentas sanè, & ingenti amplitudine effusas. Has simul ut omnifaria, & eadem pretiosa supellectile referserunt, tanto cingunt terræ ambitu, quantum vanissima istorum cogitatione ab universa creatura rescindi possit, & disjungi. Rursùs copiam omnem commeatus illinc resilientem suis inanibus includunt horreis. Universæ huic opulentiæ pecora addunt, famulitium ingens, servorum gregem numerosum, & qui modum excedat, civiles principatus, præfecturas gentium, militarem præturam, bella, trophæa, ipsum denique regnum. Hæc ubi omnia secum commenti sunt inanissimis figmentis (tanta est istorum amentia) se credunt frui speratis, quasi jam præsentibus, & ad pedes repositis. Otiosæ prorsùs, & cessantis animæ propria est hæc ægritudo, cernere insomnia vigili corpore. Hanc igitur remissæ mentis laxationem ac tumorem cogitationum deprimens, sermo hic, & quasi fræno quopiā propellens instabilitatem animi, denuntiat præceptum hoc tibi magnum

uti-

utique, & sapientiæ plenum: *Tibiipsi attende*, ut ne ea tibi pollicearis, quæ nusquam consistunt: sed quæ suppetunt, hæc digere in usos tuos tibi profutura. Quin & ipse equidem arbitror legislatorem, cum magnoperè cuperet illam turbulentam affectionem, quæ in consuetudinem jam abierat, ex animis hominum amoliri, & eximere, hac voluisse uti admonitione. Nam quando cuique est proclivius aliena curare negotia, quam quæ sua ipsorum sunt, dispicere, & expendere, ne quid ejusmodi nobis accideret: *Desine*, ait, *unius alicujus mala explorare: & inquirere curiosius, neve inerti, & otiosa cogitatione v ces vestigandis aliorum morbis: potius tibiipsi attende*: hoc est, oculo animæ in se reflexo, te ipsum explora, & inquire solertius. Sunt enim nec pauci, qui juxta dominicum verbum, in oculo fratris vel festucam animadvertunt, in proprio ne etiam perspiciunt trabem. Cave igitur cesses aliquando solerti examine excutere tuam ipsius conscientiam: num ad præscriptum istius mandati canonem vitæ tuæ tenor progrediatur: at ne externa qui-

dem ista circunspicito, nuncubi occasionem internancisci queas reprehensionis uni alicui intendendæ, exemplum imitatus superbi illius, & arrogantis Pharisæi, qui surrecta cervice suo se ore justum prædicans, publicanum pro abjecto habebat, ac vili. Quin teipsum potiùs percunctari ne cesses, & discutere, num qua in re deliqueris per intimos conceptus animi, num labascens lingua mentis considerationi anteverterit, an inconsultò, aut temerè quidpiam admiseris in operibus istiusmodi manuariis. Quod si te in vita hac deprehenderis deliquisse, plurimum (sanè deprehendes prorsùs, homo cum sis) nihil addubites depromere publicani orationem: *Deus propitius esto mihi peccatori*. *Attende igitur tibiipsi*. Hoc verbum splendido, ac felici rerum successu utenti, perque tuam omnem vitam, quamlibet secundo flumine naviget, præsentiam sui aliquando exhibebit commodam, & utilem, quasi probus quidam consiliarius suggerens menti humanarum rerum memoriam. Quin etiam si quando calamitatum pondere deprimeris, inque tempore cordi tuo in-

cinue-

cinuerit verbum hoc: neque ad inanem jactantiam per fastum fines te sustolli, nec contra ad degenerem, & ignavum animi mœrorem spe abjecta concides. Luxu profusiore divitiarum insolescis? tibi uni mirè places ob avitæ gentis claritudinem? immodico gaudio subsilis ob patriæ celebritatem, ob elegantiam, decusve corporis, denique ob honores ab omni omnium gradu tibi exhibitum? Attende tibiipsi; mortalis enim tu, quippe terra es, & in terram abibis. Qui inter eos numerati sunt, quos præ te splendor consimilis, & opum, & dignitatum exornabat, hos tu mihi circumspice diligenter. Ubi jam, dic, qui civitatum magistratus amplissimos capessebant? Ubinam inexpugnabiles illi, atque invicti Rhetores? Ubi item, qui præclara adeò statuerunt, ac benè meriti sunt de publicis istis conventibus? Quò abjerunt illustres equorum altores? ubi duces sunt exercituum? ubi Satrapę? denique tyranni quò concesserunt? Non omnia pulvis? non sunt in fabulam versa omnia? Memoria vitæ istorum in quàm paucis ossibus retinetur? In horum sepulchra de-

flecte parumper oculos. Posse ne te speras discernere inter famulum, & dominum, inter pauperem, & divitem? Discerne, si qua suppetit vis discernendi inter vinctum, & Regem, à quo vinctus fuerat: inter robustum, & debilem; inter eleganti quondam forma præditum, & deformem. Memor igitur naturæ, ne quando eleve-re in superbiam. Fueris utique tui ipsius memor, si tibiipsi attenderis. Rursùs, unus aliquis degener es, & inglorius? è pauperibus pauper? domo, ac civitate extorrem agis vitam? viribusne corporis destitutus? victus insuper quotidiani indigus? Horum metum intremiscis, qui pro potestate agunt? nullius non occursum subvereris per vitæ tenuitatem tuæ? (Scriptura enim teste, pauper non fert comminationem.) Ne tu proinde desponderis animum, neu spem à te omnem bonam excusseris, quòd nihil suppetit eorum, quæ in vita expetuntur. Mihi potiùs animum facrevoces ad eorum contemplationem bonorum, quæ jam in te collata à Deo sunt, & subministrata: tum ea tecum meditere, quæ in futurum reposita tibi sunt certa illius, & seque-

stri

ſtri promiſſione. Primùm quidem, homo es ſolus ſanè à Deo formatus ex omni animantium genere. Numnam id abundè tibi ſuffecerit ad ſummam animi oblectationem, (modò rem tecum ſobriè reputes) quòd Dei manibus formatus ſis, ejus, qui univerſa codidit? Adde, quia ad imaginem factus tui Creatoris, potes ad honorem Angelicæ dignitati nihilo diſparem ſurſum pertingere, ac provehi, per vitæ rectitudinem, & probitatem. Animam ſortitus es intellectili mente præditam, cujus ſolerti cogitatione Deum agnoſcis, rerum indolem, naturamque ratiocinando deprehendis, hinc ſuaviſſimum præcerpis ſapientiæ fructum. Tibi uni ſerviunt, tuæque mancipata ſunt ditioni animantia: quæcumque tandem uſquam ſunt, terreſtria, naturæ ut ſint cicuris, & manſuetæ, aut certè agreſtis, quæ in aquis degunt omnia, quæcumque item hunc aëra circumvolitant. Tuumne inventum ſunt artes univerſæ? Nonne civitates ipſe condidiſti? Quaſcumque vitæ huic tranſingendæ commoditates, quæque rursùs conducunt delitiarum fruitioni, an non tu excogitaſti? Non ma-

ria præduce ratione tibi pervia reddidisti? Nonne terra pariter, & mare vitæ isti tuæ subsidia administrant? Non aer, cœlum, denique chorus astrorum omnis suum tibi ostentant ordinem? Quid igitur pusillo es animo? Num quod neutiquam suppetit equus argenteo fræno adornatus? Atqui Solem habes toto die cursu pernicissimo tibi præradiantem, facemque micantissimam præferentem. Non habes argenti, aurique scintillantem splendorem. Verùm Lunam habes, quæ suo te circumfundat, & illustret radiosissimo lumine. Non datur currum innauratum conscendere? At certè pedes tibi sunt domesticum, ac familiare vehiculum, tibique ipsi congenitum. Quid igitur est, cur istos deprædices beatos, qui crumenam quidem gravi ære differtam possident, sed iidem alienis, non suis, ingrediuntur pedibus? Non dormis lectica exceptus elephantino ebore confecta? Quin terram habes tantò pretiosiorem multo ebore, dulcem etiam super illa requiem capessis, somnum quoque velocem, & curæ omnis liberum. Non sub contignatione, & laquearibus aureis datur conquiescere?

re?

re? Atqui cœlo tegeris, ingenti, nec cuiquam explicabili pulchritudine, ſtellarum circum irradianti. Quæ quidem hactenùs, humana ſunt: quæ verò deinceps, tantò ſunt his auguſtiora. Deus propter te inter homines verſatus eſt: ſua dona Spiritus Sanctus diſpertitò largitus eſt: diſſoluta mors eſt, & abolita, prærogata ſpes reſurrectionis. Præcepta Dei promulgata ſunt, quæ vitam perficiant tuam, & quorum obſervatione tibi ad Deum properanti iter aperitur: paratum cœlorum regnum, coronæ juſtitiæ ei paratæ, qui labores pro paranda virtute minimè defugerit. Si quidem tibiipſi attenderis, & hæc, & his multò ampliora circa teipſum deprehendes: & quidem frui licuerit præſentibus, neque interim per rerum inopiam angeris animo. Quocumque tandem in loco ob oculos mentis tuæ obverſabitur præceptum hoc, non mediocri auxilio futurum tibi eſt. Sit hoc exempli gratia: vicitne ira rationis vim? Iracundiæ flamma accenſus in verba erumpis prorsùs indecora, & ad actiones proſilis ſævas, ac belluinæ fœritati conſimiles? Si attenderis tibiipſi, incandeſcentem i-

ram coercebis, haud secus, ac pullum pessimè morigerum, atque effrænem plaga rationis quasi flagro quopiam perurgens: linguam rursùs cohibebis, manuum injectu haudquaquam in eum involabis, qui te promovit ad iram. E' diverso, animamne tuam quasi œstro quopiam obscœnæ, & improbæ concupiscentiæ exagitantes, in omnes omninò impetus incontinentiæ, atque lasciviæ intrudunt? Sanè si attenderis tibiipsi, memor præsentem hanc illecebram voluptatis occursuram tibi, atque in finem convertendam amaritudinis plenum, & quia titilatrix hæc affectio, quæ se nunc corpori nostro inserit, è voluptate prognata, hæc inquam venenatum vermem gignet nos in gehenna perpetuò cruciaturum, carnisque accensio mater fiet ignis æterni, mox in exilium relegatæ abs te se proripient voluptates, admirabilisque interna quædam tranquillitas, & quies animam tuam circumfundet, ac si adventante pudica quapiam hera ancillarum lascivientium inter quiescat, & sedetur tumultus. Attende igitur tibiipsi, & scito unam quidem animæ vim rationalem esse, & intellectilem,

alte-

alteram verò affectibus obnoxiam simul, & expertem rationis. Illi quidem ut imperet, prærogatum est naturæ beneficio : huic, morem ut gerat rationi, seque ab ea persuaderi sinat. Nunquam igitur siveris mentem abductam in captivitatem servam istarum affectionum fieri, neu rursùs permiseris hosce turbulentos affectus cooriri adversus rationem, ut ne sibi vindicent animæ imperium. Exacta enim, ac diligens tuiipsius considerațio viam tibi præstruet sufficientem prorsùs, & idoneam ad cognitionem Dei. Si enim attenderis tibiipsi, omnium, quæ sunt, nullo apparatu opus fuerit, quo adjutus velut per vestigia agnoscas tuum conditorem. In teipso etenim, tanquam mundo quodam distinctè adornato, licet exiguo, contemplari licebit eximiam conditoris tui, & incomparabilem sapientiam. Contemplatione, tuæ tibi inexistentis animæ incorporeæ mihi cogita Deum esse incorporeum. Deum, inquam, intellige, nullo circumscriptum loco, quando nec tua mens præcisam habet in loco conservationem, etiamsi in loco est per colligationem ad corpus.

Nihil est quod dubites credere Deum esse invisibilem, mox ut tuam ipsius cognoris animam, cum ne ipsa quidem possit corporeis apprehendi oculis Nullo enim picturata est colore, nullo tecta schemate, nullo comprehensa est corporeo caractere: tantùm ex suismet actionibus inrernoscitur. Itaque de Deo nullam per oculos aucuperis cognitionem: sed uni mentis judicio fide præmissa, sensu tantùm spirituali ipsum apprehendito. Hunc admirare artificem, quo is pacto efficacem vim animæ tuæ, veluti compage quadam astrinxerit corpori, sic ut ad extremas usque particulas ejus permeans, vimque suam dispertiens, membra ipsa plurimùm licet à se dissita in unam adducat concordem, & sociam conspirationem. Hic tu mihi velim contempleris, quænam animæ sit ea vis, qua assentitur carni, quæ item à carne consensio ad animam resultans. Considera, quonam modo ab anima in se vitam corrivet corpus: contra, ut dolores à corpore in se anima excipiat. Tecum reputa, qualesnam sint apothecæ, in quibus condit omnem disciplinarum proventum. Qua fit id ratione, ut

præ-

præconceptarum rerum cognitioni ſuccedentium,&adjectitiarum acceſſio nullam offundat caliginem: quin potiùs utrarumque memoriæ principi animæ parti ſemel inſertæ conſervantur inconfuſæ, & in ſuas quæque claſſes diſtributæ, ac ſi columnæ inſculptæ eſſent æreæ. Quo rursùs pacto carnis ſuccumbens obſcœnis affectibus decus perdit, nitoremque propriæ pulcritudinis: cum è diverſo eadem dedecore expurgata malitiæ omnis virtutis exercitatione ad ſui conditoris ſimilitudinem poſtliminio ſe recipit. Secundum hanc de anima contemplationem, (ſi modò conſentaneum videtur) attende, quam ſolers artifex ſit tui corporis conſtitutio. Demirare tu, quid ita corporis hoc domicilium decorum apprimè, & elegans animæ rationali procreaverit longè optimus artifex. In animantibus cæteris, ſolum te efformavit rectitudine ſtaturæ eminentem: ut vel doctrice corporis effigiatione condiſcas, quia è cœleſti propinquitate tua pendeat vita. Reliquum genus omne quadrupedum prono vultu terram ſpectat, oculis in ventrem depreſſis: uni homini præroga-

rogatum est, ut expasso sit, surrecto vecœlum versus vultu: idque eò factû, ne ventri, neu ventris illecebris ad vitium prolicientibus indulgeret, sed tota animi alacritate sursum versus promoveret gressum. Adde quod opifex summo in loco quum posuisset caput, in eo ipse solidè collocavit sensuum organa eorum, qui praeeminent. Illic visus, auditus, gustus, odoratus. His quatuor sedem finitimam praescripsit: sic tamen in angustum retracti loculum sunt, vicini ne remorentur actionem, aut ei sint impedimento. Et quidem oculi praecelsam illam occuparunt arcem speculationi destinatam: ne qua partium corporis liberum sibi adimeret prospectum, aut inumbraret, quin ut in directum potiùs è superiore loco, & eminentiore aciem intendant sub tenui integumento superciliorum desidentes. Auditus apertura è diverso, neutiquam se in directum exporrigit, sed retorto meatu, & anfractuoso sonos, sive strepitus in aëre editos apprehendit (id quod quis inficietur summae esse sapientiae;) ut vox quidem citra impedimentum penetret, aut veriùs insonet circum concavos anfractus au-
ris

ris refracta: eorum proinde, quæ intercidunt externè, nihil esse impedimento possit sensui. Linguæ insuper condiscito naturam. Ut est mollicula, versatilis, & ad quemlibet usum sermonis depromendi multifaria movendi agitatione sufficiens. Dentes porrò mihi expende ut organa sint quidem exponendæ voci accommoda. Tuendæ linguæ septum opponunt sanè quam validum. Adde, quod administri alimoniæ sunt, dum hi frustillatim illam concidunt, isti concisam, & dissectam minutim deterunt. Ad hunc sanè modum, nullam non corporis particulam percurrens consentanea, ac decenti ratiocinatione doceris, ut attractio aëris per pulmonem calorem in corde conservet, organa concoctioni accommoda, sulcos, canalesve eliciendo sanguini idoneos. Per hæc utique omnia contemplari licuerit impervestigabilem ejus, qui te condidit, sapientiam, adeò ut cum Propheta ipse tu possis dicere: *Mirabilis facta est scientia tua ex me*. Attende itaque tibi, ut attendas Deo, cui gloria in sæcula sæculorum, Amen.

EJUS-



EJUSDEM SANCTI

BASILII MAGNI,

Homilia ad eos habita, qui ſtudio tenentur diteſcendi.



E adoleſcente hoc, qui Dominum interrogavit, quidnam faciendo vitam haberet æternam, quæ dicta ſunt hodierno matutino, & eorum prorsùs ſolers, atque induſtrius auditor commeminit, quæ diſcuſſa tunc ſunt, & expenſa. Et quidem primùm, quòd non idem eſt cum legiſperito, de quo apud Lucam ſcribitur. Hic enim tentator erat, ſimulatorias, & ironiæ plenas proponens interrogationes. Iſte verò ſalubri-

lubriter quidem interrogans non sivit se persuaderi. Non enim tristis abiisset propter responsa Domini, nisi despiciendo interrogasset. Quamobrem ejus animus varius, mistusque nobis indicatur, cum ex sermone partim laudabilis, partim miser, ac desperans ostendatur. Etenim nosse verum magistrum, & præterita Pharisæorum superbia, Legisperitorum arrogantia, & Scribarum fastu soli vero, & bono magistro hanc appellationem deferre, hoc ipsum erat, quod laudabatur: deinde, & quod curandum sibi putavit, quomodo vitam hęreditaret æternam, probabile & hoc est. Quod verò Servatoris consilio non paruit, ac mœstus abiit, hoc demum ejus detegit mentem, quòd non respexerit ad verum bonum, sed ad id, quod multis arridet: nec item salutarem Domini disciplinam suo inscribere cordi, aut omninò sequi curasse: sed tristem inde discessisse, ob eam solùm causam, quòd divitias nimiùm amaret: hoc inquam, ejus morum varietatem pugnantium arguit. Magistrum dicis, & quæ sunt discipuli despicis? Bonum insuper appellas, & ab eo data negligis? Atqui is, qui

qui bonus eſt, bona quoque tradit. Interrogas quidem de æterna, futuraque vita, & præſentis dulcedine vinctus teneri deprehenderis. Sed, quæſo, durumve adeò, aut grave tibi verbum is proponit magiſter? *Vende*, inquit, *quæ poſſides, & da pauperibus*. Si propoſuiſſet aut agriculturæ labores, aut mercaturæ pericula, vel qualia, qui pecuniis ſtudent, tolerare ſolent, jure gravatus te poteras excuſare, ac conſilium deſpicere. Si verò facilis tibi via ſudoris, laboriſque vacua, ad conſequendum æternæ vitæ hæreditatem oſtenditur, an ſalutis facilitate non gaudes, ſed dolens, anxiuſque diſcedis, & facis, ut quicquid boni geſſeris, inutile, parumque tibi valiturum ſit? Si enim, ut ais, non occidiſti, non fuiſti mœchus, non fur, non teſtis falſus, cur reliquum ſtudium non addis, quo ſolo die in regnum poteris faciliùs pervenire? Nam ſi medicus membra tibi aliqua non recta, aut ex natura, ſeu morbo diſtorta, ſe corrigere polliceretur, gauderes profectò. At cum ipſe animarum maximus medicus te in neceſſariis deficientem perfectum reddere

cupiat,

cupiat, minimè gratiam suscipis, sed ingemis, atque doles. A mandato namque illo servando palam est, quod procul absis, & in te ipso mentiri deprehenderis: quòd videlicet proximum sicut teipsum diligas. Nam eccè præceptum illud, quod à Domino tibi propositum est, palam te convincit, quòd charitate destitutus sis. Si enim teneris adhuc in annis (ut affirmas) fraternitatis charitatem, ac tantum præceptum custodisti, ut ea proximo, quæ tibi ipsi reddideris, unde tibi hæc divitiarum copia? Cura namque egenorum pecuniæ consumptiva est, dum & modicum quisque pro sua necessitate capit, & reliqua in omnes alios dividuntur, quorum quisque suam portionem absumit. Ex quo amans proximum, sicuti seipsum, nihil plus illo possidebit: at tu possessiones multas habere appares. Undenam hæ, nisi quòd propria commoda multorum commodis habes omninò potiora? Quò enim plus opibus crescis, eò magis charitate deficis. Nam diù jam pecuniam aliis communicare cogitasses, si proximos, æquè ac te ipsum amasses. Nunc ea tibi magis insita, conjunctaque, quàm corporis membra videtur.

detur. Idcircò ejus privationem non secus horres, quàm vitalium membrorum amputationem. Si nudum induisses, si esurienti panem præbuisses, si omni hospiti tua janua patuisset, si orphanorum pater extitisses, si denique te inopum, & afflictorum misericordia cepisset, quarum, quæso, opum gratia jam contristatus fuisses? Quomodo ægrè tulisses eorum, quæ adhuc superessent erogationem, si jam olim cogitasses illa impendere egenis. Nundinis quidem nemo tristatur, quòd res suas profundat, & vicissim ea, quibus opus habet, accipiat: sed quanto viliori pretio res emerit pretiosissimas, tanto magis gaudet, ut qui egregiè negotiatus fuerit: at tu & aurum, & argentum, & possessiones distribuere, hoc est, lapides, & terram, pro æterna dare felicitate gravaris. Sed quò tendunt divitiæ? ut pretiosa te veste amicias? At duorum cubitorum tunica tibi satis est. Unius, inquam, tunicæ commoditas, pro claris, ac multis fuerit vestibus. Ut lautiùs vivas? At panis unus, idoneus est tenuem explere ventrem. Quid ergò privari doles? Quæris gloriam? Si

terre-

terrenam, humilemque hanc despicere poteris, longè potiorem, ac clariorem, teque in regnum cœlorum deducentem invenies. Sed, inquis, fortunas ipsas tantùm possidere voluptas est magna, & si nullum ex eis usum capias. Quod itaque stultum sit pecuniarum studium, cuivis liquet. Verumtamem mirum fortasse, incredibileque, quod tibi sum dicturus, videbitur, tamen omni re certius: Didistributæ opes, ut ipse testatur Dominus, firmiores permanere: amatæ verò, ac cupidiùs custoditæ, auferri solent. si asservabis, non hebebis. Si dispergas, invenies, ut ait Propheta: *Dispersit dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi*. Sed profectò non vestium, aut ciborum causa, à multis affectantur opes: verùm quædam est diaboli methodus ad suggerendas divitibus mille sumptuum inanium occasiones: ut ea, quæ ad superflua, & ad rem pertinentia non sunt, pro necessariis ducantur. Ex quo ad sumptuum excogitationem nihil satis homines hujusmodi habent. Substantiam namque in præsentem, ac futurum usum diducunt, primùm sibi, deinde filiis

liis accumulant: rursùs eandem in ſumptus varios, pro ſtatu, & ordine cujuslibet dividunt. Sit, inquiunt, res partim in uſu, partim condita, ſepoſitaque. Item quæ in uſu eſt neceſſitatis terminos tranſcendat. Iſta ſerviat ſumptibus domeſticis, illa præſto ſit ad externam pompam: ut iter facienti ornatus, equitatus, viaticum pro conditione fiant. Hæc domi permanenti vitam reddat ſplendidam, & illuſtrem, ita ut mihi miraculum ſit, quomodo tot inanes ſumptus excogitentur: innumeri inſtituuntur currus, quibus vel ſarcinæ, vel ipſi mortales vehantur, illique ære, vel argento obtecti. Equi comparantur permulti, atque illi è majoribus ſuis generoſi, qualiter homines ſolent, æſtimati: quorum alii delicatos per urbem, ad oſtentationem circumvehunt, alii ad venationem, alii ad iter faciendum præparantur, fræna, zonæ, collaria, argentea omnia, aureaque: inſuper tapeta purpurea, ipſos veluti ſponſos ornantia equos: mulorum quoque multitudo colore diſtincta: aurigæ illorum, ſucceſſores invicem qui præcedunt, & qui ſubſequuntur, ſervorum infinitus numerus, ſum-

pti-

ptibus eorum cunctis, ac magnificentiæ suppeditans: curatores, promi, coloni, ministri cujusvis artis, sive necessariæ, sive voluptuariæ periti. Præterea coci, pistores, pincernæ, venatores, fictores, pictores: voluptatis omnimodæ commentores. Camelorum greges partim ad onera, partim ad pascua descripti. Equorum greges, armenta boum, porcorum, ovium, horumque pastores; ac tellus non solùm his omnibus pastionibus sufficiens, sed proventus reliquos amplificans: balnea insuper in civitate, balnea in agris. Domus omni marmorum genere coruscantes, Phrygio: Laconico, Thesalico, è quibus alia hyeme calida, alia æstate frigida esse oportet: pavimentum calculis ornatum variis, cameræ, laqueariaque, & quicquid parietibus super est auro, picturæque floribus decorata. Quando igitur in mille supervacuos usus distractæ opes adhuc redundant, in terra conduntur, & in secretis, cavernisque custodiuntur. Incertum est, inquis, quid futurum sit. Necessitati, quæ nos quandoque urgere posset, providendum est. At longè incertior defossi thesauri usus:

nec

nec tamen pœna incerta, quæ tuorum morum manet inhumanitatem. Tunc quando ad perdendum aurum omnem viam excogitaveris, quod supererit fodies, atque abscondes? gravis profectò insania. Primùm, in metallis aurum latitans omni diligentia in lucem proferre, ac ex humo recludere: deinde semel effossum rursùs in terra occultare. Nam quicumque hoc facis, profectò & cor simul fodere videris, dicitur enim: *Ubi thesaurus tuus, ibi & cor tuum*. Idcircò Dei mandata tristitiam istis adferunt. Nam vitam sibi miseram esse putant, nisi inutilibus sumptibus occupentur; & in summa, idem mihi evenisse huic adolescenti, & illis, qui ejus similes sunt, videtur, quod illi solet evenire, qui iter facit civitatis alicujus spectaculi videndi studio, properatque usque ad mœnia, ibi reperto diversorio requiescit, modicumque, quod restat viæ ob pigritiam, atque desidiam ire detrectat, simul, & toleratum itineris laborem inanem reddens, & spectaculo bonorum, quæ videre poterat in urbe, se excludens. Sic & hujuscemodi sunt homines, qui cetera quidem man-

mandata obſervant, ad bonorum verò ſuorum erogationem claudicant. Vidi ergò multos jejunantes, orantes, præteritorum pœnitentia ſuſpirantes, omnem denique ſine ſumptu pietatem oſtendentes: egentibus verò ne obolum quidem præbentes. Quid his cætera virtutum diligentia prodeſt? Non propterea regnum Dei conſequentur. Idcircò, inquit Dominus: *Difficilius eſt divitem intrare in regnum cœlorum, quam camelum per foramen acus*. Hoc eſt teſtimonium validum: qui teſtatur, verus: perſuaſi verò pauci. Et quomodo, inquit, vivemus, ubi omnia abjecerimus? qualis autem ſpecies, & ſtatus erit mundi, ſi omnes vendant, & omnes res ſuas abjiciant? Ne me interroga dominicorum præceptorum ſententiam. Potuitne legiſlator id, quod fieri non poteſt, ſub lege comprehendere? Tu verò cor tuum ſicut in trutina expendes, an ad vitam futuram, ac veram, ſeu præſentem, inanemque inclinet. Neque enim ſecundum voluptatem, ſed ſecundum neceſſariam diſpenſationem, divitiarum uſum, ſi quidem prudenter judicare voluerimus æſtimare,

convenit, & non minus gaudere, ubi illas erogaverimus, quàm ſicubi alienis privati fuerimus, & non ægrè ferre, quaſi propria amiſerimus. Quid quæſo gravaris? Quid doles, quòd audis: *Vende quæ habes?* Si enim te in futurum ſeculum ſequerentur, profectò præ illis prætioſioribus, quæ ibi reperies, & hæc nihil penderes. Sed quando neceſſe ſemel eſt ea hic remanere, cur non divenditis ipſis lucrum inde auferimus? Nam ſi alacri, lætoque animo das aurum, ut equos poſſideas, cur id regno Dei potiùs commutari ſuaſus doles, petenti denegas, & abnuis, mille ſumptuum occaſiones commemorando? Quid miſer judici reſpondebis? parietes veſtis, hominem non veſtis? Equos phaleris ornas, fratrem tuum laceris amictum pannis aſpernaris? Frumentum retinendo perdis, eſurientes non reſpicis? Aurum in terram condis, & oppreſſum non curas? Quod ſi uxorem inſuper avaram habueris, duplex tibi morbus creverit. Nugas hæc, & delicias ardet, voluptatis illecebras tibi augebit, concupiſcentiæ, & ſupervacanei ſtudii ſtimulum acuet, dum lapides quoſ-
dam

dam excogitat, margaritas, ſmaragdos, & hyacinthos, & aurum partim fabricatur, partim veſtibus intexit,& per omnes ineptias morbum auget. Neque ſucciſiva huic ſtudio tempora, verum ordinaria noctes atque dies tradit. Mille inſuper aſſentatores illius adſunt deſideriis adducentes fullones, aurifices, unguentarios, textores, diſcriminatores, qui ex illius imperiis nullo tempore virum reſpirare ſinunt. Nullus item muliebri concupiſcentiæ ſatis theſaurus, non ſi è fluminibus fluxerit:quandoquidem unguentum exoticum ex barbaris ita quærũt, ut oleum è foro, & ex mari conchylia: purpuram, varioſque colorum flores, pluſquàm ex ove lanam habere contendunt. Præterea pretioſos lapides complectens aurum, partim in frontis ornatum cedit ipſis, partim in colli monilia, partim zonas locupletat, partim manus, ac pedes ornat. Gaudent auri cupidæ fœminæ manicis ligari, duntaxat ex auro ſit vinculum. Vir igitur muliebrem ſequens appetitum, quando animæ curam geret? Sicut enim debilia navigia procellæ, ac tempeſtates diſpergunt, atque inundant, ſic

pravi uxorum affectus virorum debiles animas corrumpunt, atque pessundant. Igitur ad hæc tot, taliaque distracta substantia, nugis, ac variis voluptatum inventionibus viro, & uxore inter se certantibus meritò non vacabit, ut & aliorum habeatur ratio. Sed si audieris: *Vende omnia, & da pauperibus, ut vitam habeas æternam*, mœstus abis. At si audieris: Da pecuniam muliebribus deliciis, lapidicidis, architectis, tessellariis, pictoribus, gaudes, quasi rem pecunia pretiosiorem assequaris. Nonne vides hæc mœnia vetustate jam labefactata, quorum reliquiæ tanquam scopuli quidam per urbem totam apparent? Quot per civitatem pauperes, dum hæc excitabantur erant, qui ab incolentibus ob ædificandi studium negligebantur? Ubi, quæso, nunc tantus operum splendor, & apparatus? Ubi & ille, cui horum magnificentia studebatur? Nonne hæc dispersa, solo æquata, & abolita, veluti puerorum ludicra, qui inter arenas turres excitant, omnia perierunt: author verò ob rerum vanarum studium ambitiosum, in inferno sepultus est? Contende igitur

tur

tur animam habere magnam, ac locupletem. Muri verò parvi, vel magni eundem præſtabunt uſum. Ego verò quando tranſeundo unius alicujus inflati, ac divitis domum conſpicio varis ſtragulis, ac ornamensis fulgentem, intelligo illum nil pretioſius, quàm quod cernitur, poſſidere: quandoquidem inanimata tanto ſtudio ornare contendat, animam verò immortalem incultam habeat. Quem tandem, quæſo, ampliorem uſum argentei lecti exhibent, & menſæ argenteæ, lecti eburnei, ſellæ eburneæ, ita ut nequeant ullo modo ad pauperes penetrare divitiæ? & quanquam ad tuas veniunt fores, miſeram rogando vocem emittentes, tu tamen negas, affirmans rogantibus cunctis non poſſe ſufficere: & cum lingua dejeres, manu perjurus argueris. Licet enim illa taceat, mendacium tamen tuum deprædicat, annulo, quem in digito habes conſpicua, & illuſtris. Annulus, inquam, tuus quantum æris alieni poſſet exolvere? quot domus ob inopiam ruentes conſervare? Una tantùm tuarum veſtium arcula totum populum frigore rigentem amicire poſſet. Verùm ſuſtines

inexoratus abs te pauperem rejicere, nec metuis judicis minas, ac ea, quæ se ille pollicitus est hominibus hujusmodi redditurum. Non te miseret? misericordiam non invenies. Non aperuisti domum tuam? à regno Dei excluderis. Non dedisti panem? non vitam recipies æternam. Sed & pauperem teipsum dicis: & ego tecum sentio. Pauper profectò est, qui multis indiget: pauperes, inquam, insatiabilis concupiscentia reddit. Decem talentis totidem addere contendis, deinde viginti coactis etiam totidem. Nec solùm crescendo non expletur, sed ardentior redditur appetitus. Velut ebriis occasio sitiendi est vini copia, & augmentum: sic & qui repentè ditatus est, plura possidens plura concupiscit, & dum perpetuò cumulum auget, morbum perpetuò nutrit. Studium namque habendi contrarios eorum voluntati agit effectus. Non enim tantùm eos ob jam parta non exilarat, verùm ob ea, quæ deesse videntur cupiditati, potiùs angit. Ex quo anima curis continuò premitur, dum alios superare contendunt: oportebat illos gaudere, & gratos es-

se,

ſe, quòd tam multis ſunt opulentiores, illi verò mœrent, ac lugent; quòd ab uno, & altero opulentioribus vincuntur. Ubi ditiorem aliquem adæquarunt, mox & alterum, à quo ſuperantur, adæquare ſtudent: & ubi iſtum quoque tranſierunt, erga alium ultrà adæquandum rapiuntur. Quemadmodum qui ſcalas, vel gradus aſcendentes, ad ulteriora progreſſuri, continuò ad gradum ſequentem veſtigium attollunt, nec prius quieſcunt, quàm ſummam attingant: ſic & hi à rerum cupiditate non prius ceſſant, quàm in altum ſublati ſeſe à ruina firmos, ac ſecuros reddant. Conditor omnium Deus ſeleucidem avem inſatiabilem, ad hominum tamen beneficium conſtituit: tu verò te ſpontè inſatiabilem animo reddens, multis profectò damnum facis. Nam quæcumque oculis aſpicit avarus, hæc concupiſcit. Nec expletur oculus videndo: neq; avarus accipiendo ſatiatur. Avarus (ut infernus) nunquam ait ſatis eſt. Quando miſer jam partis uteris? Quando frueris, aut à curis habendi ceſſabis? Væh qui domui vicinam domum, & agrum agro conjungitis

ut aliquid proximo auferatis. Tu verò, quid facis? Non innumera caussaris, ut quæ proximi sunt auferas? Domus, inquis, proximi ædes meas obscurat, turbas excitat, aut errones suscipit, aut tale quid aliud quodcumque prætexis, quo vexes, & agites, vellas, ac laceres vicinum, nec prius cessas, quam ille necessitate coactus aliò migret. Quam ob caussam Nabuthas Israëlita occisus est? An non propter concupiscentiam Achab, vineam ipsius auferre volentis? Avarus in urbe malus cohabitator est, malus est in agris. Nam mare terminos habet, nox item leges antiquas non egreditur. Solus avarus nullum circumscribit tempus, non terminum noscit, rerum successione non cedit: sed vim, naturamque ignis imitando, omnia comprendit, omnia pascitur. Et veluti flumina ex parvis initiis exeuntia, deinde paulatim incrementum intolerabile in processu accipientia, impetu demum violento quicquid objicitur secum trahunt: sic & ii, qui in magnam provehuntur potestatem, ex eo quod jam aliquos oppresserunt, ad majora continuò facinora, majoresque inju-

jurias progrediuntur, ac reliquos, quos prius præterierant, per oppressos antea lædunt. Quamobrem potentiæ incrementum fit eis sceleris occasio majoris. Qui enim mala sub ipsis patiuntur, eisdem quoque auxilia ferre inviti in aliorum injurias coguntur. Ex quo mutua inter se incommoda infligunt. Quis vicinus? quis contubernalis, aut cliens non trahitur? Nihil enim opum potentiæ resistit. Omnia tyrannidi cedunt: cuncta potentiam formidant: quum singuli affecti injuria plus soliciti sint, ne quid amplius mali patiantur, quàm ut pœnas repetant ob ea, quæ sunt perpessi. Dives verò, ac potentiæ fidens, & audax ultrò lacessit: boves jungit, arat, serit, metit ea, quæ ad ipsum minimè pertinent. Tu si resistis, verbera parata. Si quereris, lamentationum, & accusationum tuarum quæstio fiet. In judicium, in carcerem demum traheris. Calumniatores minimè deerunt, qui mortis periculum intentent. Denique ut te hac molestia liberes, libenter adhuc aliud dabis. Igitur ò miser parumper, quæso, à tuo scelere respira, & tuæ conscientiæ recessus ali-

quantulum perſcrutare, tecumque, conſidera quis rebus huſceſmodi finis? quæ ſors tuorum ſtudiorum impudentiæ fuerit? Habes terræ partim aratro, partim arboribus utilis, tot jugera; præterea vineas, montes, campos, ſaltus, flumina, loca amœna. Quid ergò poſt hæc? Nonne telluris tres tantùm cubiti te expectant? Nonne parvus lapis ad tui miſeri corporis cuſtodiam ſatis erit? Cujus gratia laboras? aut pro quo contra jus, faſque contendis? Quid manibus inanes ſtipulas metis? Sed utinam tantùm inanes, ac non igni perpetuo materiam. Non ex hac ebrietate quandoque reſipiſces? non mentis ſanitatem recipies? non tibi ipſi reſtitueris? non ante oculos Jeſu Chriſti judicium tibi pones? Quomodo cauſam dicturus coram juſto judice te defendes ab iis, qui abs te laceſſiti acriter inſtabunt? Quid, inquam, ages? aut quos advocatos conduces? Quos adduces teſtes? Quomodo integerrimum corrumpes judicem? cum nec orator tibi, neque verborum ad perſuadendum facundia fuerit, quibus illi veritas occultari poſſit. Non te rursùs adulatores, non pecunia, non dignitatis

fa-

fastus sequentur? Ab amicis item, ab auxiliis desertus, sine advocato, sine defensore, sine honore, tristis, pudefactus, dejectus, ac solus relinqueris. Nam quocumque oculos circumferes, umbras ubique, simulachraque malorum aspicies. Hinc orphanorum lacrymæ, illinc viduarum gemitus, aliundè oppressi abs te pauperes; servi, quos lacerasti, vulneribusque affecisti, vicini, quos ad iram provocasti; cuncta hic adversus te consistent. Tuorum scelerum acervus te comitabitur. Sicut enim umbra corpus, sic peccatum animam sequitur, gestorum imaginem manifestam referens. Idcircò illic negatio minimè valebit: sed loquatur os licet impudenter, obturabitur tamen. Nam ipsa facta non quidem vocem emittentia, sed talia apparentia, qualia à nobis patrata fuere, vitæ testes erunt. Quonam pacto tibi ante oculos exponam horrenda illa, quæ te manent? Si itaque audieris, si emollitus aures præbueris, recordare illius diei, in quo revelabitur ira Dei de cœlo: recordare gloriosi adventus Christi, quando qui benè fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò ma-

lè, in resurrectionem judicii excitabuntur. Tunc sempiterna verecundia peccatoribus,& ignis adversarios voraturus aderit. Illa te gravent, non mandatum dominicum de bonis cedendis. Sed jamdudum non audis. Quibus ergò verbis te curabo? Quomodo loquar? Regnum Dei non curas, gehennam non times? quam animæ tuę medicinam idoneam inveniam? si enim horribilia non metuis: clara insuper, & pulchra despicis, disputamus cum corde lapideo. Infelix homo, pecuniæ naturam aliquantulũ inspice. Quid attonitus aurum miraris? Lapis est aurum, lapis argentum, lapis margarita, lapides sunt chrysolithus, berillus, achates, hyacinthus, amethystus, jaspis. Hæc summa, hi flores opum magnarum. Hos partim, cum sint clarissimi, in tenebris abscondis: partim in digitis micantibus, pretio, & splendore gavisus, circumfers. Dic, quæso, quæ utilitas, digitos vertere lapillis coruscantes, atque ostentare? Non erubescis, insolito lapillorum desiderio flagrans, velut malacia laborantes prægnantes mulieres? Nam & illæ lapillos arrodunt, & tu avidus es prestan-

ſtantiorum quarumque gemmarum, & ſardonycas, jaſpidas, amethyſtos omni ſtudio conquiris. Quis pulchritudini, formæque fingendæ ſtudens unam vitæ diem ſibi prorogare poterit ? aut cui mors ob divitias parcit ? à quo morbus ob pecuniam abſtinet ? Quouſque igitur opes erunt animarum laqueus, mortis hamus, peccati eſca ? quouſque divitiæ erunt belli materia, per quas fabricantur arma, & enſes acuuntur ? Propter opes, inquam, propinqui, & cognati naturam negant, fratres inter ſe digladiantur, loca deſerta graſſatoribus referciuntur, mare piratis, civitates calumniatoribus complentur. Quis mendacii pater eſt ? Quis falſæ accuſationis miniſter ? quis perjurii genitor ? nonne divitiæ, ac circa divitias ſtudium ? Quid accidit vobis ò homines ? quis ea, quæ veſtra ſunt, ac in ſalutem veſtram conceſſa contra vos vertit ? Ad ſubſidium vitæ non malorum incitamentum pecunia data eſt, animæ redemptio eſt, non exitii occaſio. Sed, inquis, ob filios neceſſaria eſt. Plauſibilis eſt iſta avaritiæ excuſatio : liberos prætexitis, ac interea cordibus

ve-

vestris satisfacitis. Non ego insontem accuso filium: proprium habet dominum, propriumque rectorem. Ex alio vitam accepit, non ex te ipso vitæ subsidia expectat. An non & iis, qui sunt in connubio id Evangelicum scribitur? *Si vis perfectus esse, vende omnia, & da pauperibus*. Dic, quæso, cùm Deum orasti, pro fœcunditate; cùm precatus es, ut fieres liberorum pater, addidistine illud: da liberos, ut causa sint, ne præceptis tuis obediam? Da mihi liberos, ne veniam in regnum cœlorum? Prætereà quis tibi sponsor de ipsorum fuerit voluntate, ac ingenio, ut rectè datis, relictisque utantur? Nam multis divitiæ luxuriæ sunt causa. An non audistis Ecclesiastem dicentem? *Vidi stultitiam multam, & gravem. Divitias in malum custodientibus ipsas converti*. Et rursùs: *Relinquo ego homini post me, & quis novit, si sapiens erit, aut stultus*? Considera itaque, ne cum multis ærumnis opes cumulatas peccatorum materiam aliis tradas, duplicique plectaris postmodum pœna, & tuorum criminum causa, & aliorum, quibus causam dederis. Nonne

cun-

cunctis liberis conjunctior est tibi anima tua? nonne omnium familiarissima? Huic tu primas da partes hæreditatis, vitæ videlicet æternæ divitem materiam, deinde filiis victum distribue. Filii namque quandoque domui paternæ minimè succedentes, aliam sibi constituunt: at anima abs te relicta, neglectaque apud quem misericordiam inveniet? Hactenus eos alloquutus sum, qui liberos habent. Qui verò liberis carent, quam parsimoniæ causam objiciunt? Nolo, inquiunt, vendere, nolo pauperibus dare ob vitæ necessarios usus. Non ergò dominus tibi præceptor erit, nec Evangelium formulam vitæ tibi dabit, sed tu tibi ipsi jura dices, ac statues. Cogita in quod incidas periculum. Si ita sentis, ut quæ dominus necessaria nobis præscripsit, tu ut impossibilia taxes, nihil aliud agis, quàm quod te legem hanc ferente sapientiorem dicis. Sed, inquis, ego quidem bonis, dum vixero, frui volo: post mortem verò in testamento hæredes facultatum mearum, ac dominos pauperes ascribam. Heu miser, tunc benignus, ac liberalis hominibus eris, cum amplius inter homi-

mi-

mines non ages? cum te cadaver aspiciam, tum fratris amantem appellabo? Scilicet magna dignus eris liberalitatis laude, magnus tibi honor debebitur, aut gratia, si in sepulchro jacens, in terram conversus, magnificus, ac sumptuosus apparebis. Dic cujus mercedem temporis potissimùm exposces? vitæne an mortis? Nam si tempore, quod ad promerendum datur, in voluptatibus, ac deliciis absumpto pauperes nequaquam respexisti, mortui quæ tandem est actio? quæ merces operis ei debetur? Ostende opera, & tum primum mercedem repete. Nullus enim post mercatum solutum negotiatur: neque demum post certamen accedens coronatur: nec post bellum fortia gerit: nec item post vitam pietatis laudem, præmiumve capiet. Atramento, & tabulis pulchra opera, & commendanda gerere studes? Sed quis exitus tui tempus nuntiabit? Quis de mortis genere sponsor? Quot videmus repentinò, ac vi, casuve extingui, qui præ doloris, & spiritus angustia ne vocem quidem emittere potuerunt? Quot etiam febris à sensu alienos fecit? Quid igitur tempus ex-

pe-

pectas? in quo sæpè rationis tuæ compos non eris. Enimuerò nox profunda, morbus grauis, nullus circa adjutor: imò potiùs, qui hæreditati insidiatur paratus aderit, omnia tantùm, quæ ad ejus faciant usum adhortans, ac tua irritare consilia quærens. Tunc tandem destitutum te, videns tuam imprudentiam, ac stultitiam graviter suspiriis damnare incipies, quòd in tale tempus mandatum distuleris, cum & lingua resoluta est, & manus tremula, contractionibus jam quassata, ut neque voce, neque literis significare mentem possis. Quod si nihilominus contigerit, ut & verbo, & scripto res tuæ palàm mandentur, una tantùm transposita litera, totam sententiam mutare, ac irritam facere valebit: unicum sigillum adulteratum, duo item, aut tres improbi testes totam hæreditatem in alios convertent. Quid igitur miser teipsum decipis? nunc opibus in luxu vivendo abutens, ac tibi ea promittens, quorum postea dominus non eris, ut ex dictis patet. Pravùm hoc est consilium, quod capis. Vivens, ais, bonis fruar: decedens peragam imperata. Erras homo. Tunc Abraham

ham tibi quoque dicet: *Recepisti bona tua in vita tua*. Si arcta est via quæ ducit ad vitam, non te divitiis oneratum, ac opum sarcinam ferentem excipiet. Gestans divitias tuas hinc egredieris: non enim illas abjecisti ut jussus es. Cum viveres, mandato te ipsum prætulisti: post mortem, ac dissolutionem mandatum inimicis præposuisti. Etenim ne ille, vel ille, quem nolis, accipiat facultatem tuam, accipiat illam, inquis, Dominus. Et istud quid vocabimus? Vindictamne inimicorum, an proximi dilectionem? Lege testamentum tuum. Vellem, inquis, vivere, ac frui bonis meis. Morti ergò non tibi sit gratia. Si enim immortalis esses, nunquam mandatorum recordatus esses. Nolite errare. Non decipitur, non deridetur Deus. Mortuum ad rem sacram non offeretur. Viventem offer hostiam. Qui ex ejus, quæ supersunt offert, ingratus est. Tu verò post vitam omnem, quæ morti supersunt Deo omnium præbitori tribuis? Si tu nobilem hospitem domui exciperes, eine mensæ reliquias apponeres? Quomodo ergò existimas ex repotiis Deum placari? Igitur vos
allo-

alloquor divites, ac locupletes, videte finem amoris pecuniarum, & sic erga pecunias affici desinite. Quanto amantior opum fueris, tanto magis nihil tibi reliquum fit ex his, quæ possides. Fac tua hæc omnia, tecum aufer omnia, ne alienis opes relinquas. Ob rem relictam nihilo plus te servi honorabunt, sed sepulchrum fortasse, funerisque sumptus negligent, hæredi placere studentes, & nova quadam philosophia dictitabunt. Quid cadaver nihil sentiens multis impensis honestare contendis? Nonne melius est vestem hanc pretiosam superstitibus usui necessario servare, quàm frustrà humi cum cadavere tabescere sinere? Monumento item quid opus sumptuoso, aut quæ utilitas inanis sumptus? Oportet illa ad vitæ usum superstitibus dare: talia dicent, teque morositatis condemnabunt, successoribus tuis gratificabuntur. Itaque ista præveniens teipsum sepelito. Bonum sepulchrum est pietas, omnibus tuis ornatus hinc discede, fac ornent te tuæ divitiæ. Habe illas penes te. Crede optimè consulenti, teque amanti Jesu Christo, qui ob nostram salutem egere voluit,

ut ex

ut ex ejus paupertate nos divites eſſemus: qui etiam ſeſe pro nobis redimendis pretium obtulit. Aut illi ſapienti, noſtramque utilitatem intuenti morem geramus, aut ut amantem nos feramus, aut ut erga benefactorem grati ſimus. Omninò verò quæ præcepta nobis ſunt faciamus, ut hæredes conſtituamur æternæ vitæ in ipſo Chriſto, cui ſit gloria, &c.

EJUSDEM SANCTI BASILII MAGNI,

Quomodo baptizetur aliquis Baptiſmate, quod eſt in Evangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti.



Uoniam mandatum nobis Dominus noſter Jeſus Chriſtus dedit, ut nos invicem diligamus, ſicut ipſe nos dile-

lexit, & per Paulum Apostolum nos docet, ut toleremus alius alium in dilectione: pietatis vestræ in Christo præceptum, de gloriosissimo secundum Evangelium Domini nostri Jesu Christi baptismate prompto animo accepi, non tanquam qui pro rei majestate quicquam dicere queam, sed ut cum vidua illa, quæ æra minuta duo misit, & ipse pro mea mediocritate aliquid conferam, & ad id quoque precibus eorum, qui Dominum diligunt opus habeo, ut optimi Dei, & Christi ipsius gratia, sanctus, ac bonus spiritus, qui suggerit nobis, & docet nos quæcumque à Domino audiverit, mentem nostram in viam pacis, & sermonem sanum ad fidei ædificationem dirigat, ut & in nobis, & vobis dictum illud sapientis adimpleatur: *Da sapienti occasionem, & sapientior erit*. Cæterùm sciendum est, quod primum docere, & instruere oporteat, atque ita demum præclarissimo baptismate ritè instructum dignari: nam ita Dominus, ac Deus noster Jesus Christus unigenitus viventis Dei filius discipulis suis ipse præcepit. Necessariò itaque vobis separatim, quæ ab ipso sunt Do-

Domino de illis, qui discipuli Christi fieri volunt, dicta, ex multis pauca commemorantes tradidimus. Quoniam verò, qui è supernis generantur, promissionem habent videndi regni Dei: qui verò ex & aqua, & spiritu, ingrediendi in regnum Dei, necessarium arbitror, ut modica quędam ex illis, quæ de regno cœlorum sunt dicta, adjiciam, ne quovis pacto in acquirendo illo deficiamus. In vitæ namque negotio paululum non est, quod paululum abest, ac ferè dicitur, ut quidam nostrorum sapientum admonuit. Et hoc ex ipsis rebus potissimùm liquet, imò & ex absoluta illa sacrorum, & ad oblationem destinatorum animalium integritate, satis habet fidei, quod dico, in quibus ubi modica quædam reperiebatur macula, vel mutilatio non integri alicujus membri, sed partis tantùm ipsius, quemadmodum scriptum est, mutilatio summitatis auriculæ, sive homo erat, ad sacerdotium ineptus judicabatur, sive animal, reprobum habebatur ad sacrificium, cum Apostolus dixerit: *hæc, quidem illis in figura contigerunt, scripta verò sunt ad nostram*

ad-

admonitionem, *in quos fines sæculorum venerunt*: & Dominus apertè excellentiam declaraverit, ubi dixit: *Templo majus aliquid hic est*, & abundatiùs nos animæ curam habere debere ostenderit dicens: *cui multum concreditum est*, *ab illo & multum repetent*. Commemoremus itaque, quæ de regno cœlorum sunt scripta. Dominus noster Jesus Christus, cum ascendisset in montem, & doctrinæ suæ per beatitudinum catalogum initium faceret, primam beatitudinem eam esse prædicavit, quę promissionem habet regni. Dixit enim: *Beati pauperes spiritu*, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. In octava verò beatitudine: *Beati*, inquit, *qui persequutionem propter justitiam patiuntur*, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Et iterum, ubi quæ futura sit tempore retributionis benedictio electorum per parabolam pastoris prædicit: *venite*, inquit, *benedicti patris mei*, *hæreditate possidete regnum*, *quod vobis ab initio mundi paratum est*. *Esurivi namque*, *& dedisti mihi manducare*, & quæ sequuntur. Et in Evangelio Lucæ, alio & tempore, & loco, ut Scriptu-

ra

ra manifestat, iterum beatitudines exponens: *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*: & iterum: *Noli timere pusille grex, quoniam placuit Patri vestro cœlesti dare vobis regnum: vendite quæ possidetis, & date eleemosynam: facite vobis sacculos, qui non inveterascunt, thesaurum indeficientem in cœlis*. Hęc quidem, & hujusmodi alia sunt, per quæ regno cœlorum quis dignus efficitur: ea verò sine quibus impossibile est, ut regnum cœlorum quisquam ingrediatur, in Evangelio Matthæi dęclarat Dominus ad hunc modum dicens: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, nequaquam intrabitis in regnum cœlorum*. Et rursùs: *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum*. Et iterum: *Quisquis non acceperit regnum Dei, sicut parvulus, non ingredietur in illud*. In Evangelio autem Joannis ad Nicodemum dicit: *Nisi quis natus fuerit denuò, non poterit videre regnum Dei*. Et iterum: *Nisi quis natus fuerit ex aqua, & spiritu, nequaquam ingredietur in regnum*

gnum cœlorum. De quibus una est sententia, liquet quod idem sit, & periculi omnibus, si unum aliquid ex ipsis defuerit. *Si namque*, Dominus dicit, *jota unum, aut apex unus haudquaquam præteribit à lege, donec omnia fiant*: quanto magis ab Evangelio, dicente Domino ipso, *cœlum, ac terra transibit, sermones verò mei nequaquam transibunt*. Unde Jacobus Apostolus confidenter denuntiavit dicens: *Quisquis fecerit totam legem, offendat autem in uno, erit omnium reus*. Hoc autem ex eo didicit, quòd post beatitudines Dominus testimoniis, ac promissionibus Petro propter homines datis, comminatus est dicens: *nisi lavero te, non habebis partem mecum*. Paulus verò Apostolus ea, quæ desunt passionum Christi, pro corpore ipsius, quod est Ecclesia, adimplens, & in Christo loquens contestatur, quænam illa sint, quorum potissimùm gratia quis regno cœlorum non potiatur, & mortis condemnationi subjiciatur, aliquando quidem definitè dicens, *quod qui talia faciunt, digni sint morte*. Quare verò non dixit, qui ista faciunt, sed,

qui talia faciunt regnum cœlorum non possidebunt. Et iterum generaliùs, *quoniam injusti regnum Dei non possidebunt*: & alibi similiter. Ipse verò Dominus noster Jesus Christus in Evangelio secundumLucam ita definivit dicens: *nemo manu ad aratrum posita, & retro postea aversus, aptus est ad regnum Dei*. Est autem hic necessariò observandum, quod non de multis peccatis, sed de uno est horrendum adeo, & inevitabile judicium, idque ex concessis, ac licitis, & si moram duntaxat, eamque modicam obedientiæ illi quis, quæ absque ullo prætextu, velocissimè, & sine suspensione Domino præstanda est, injecerit. Ex his itaque, & similibus omnibus instruimur, quod si omnia quis integrè, ac legitimè adimpleverit, quibus regni cœlorum promissio facta est, & sine quibus regni gratia denegata est, & se rursùs ab omnibus illis cohibuerit, propter quæ nemo regnum cœlorum hæreditate acquirit, ita demum ut promissione regni dignus habeatur, expectare poterit. Oportet enim certamen hoc beneplacendi Deo, non solùm ab omni malitia alie-

lienum, sed & integrum, & immaculatum esse in omni verbo Dei, Paulo Apostolo post magnæ, & ineffabilis Dei, & Christi ipsius erga nos dilectionis ad nostram cum justitiam, tum salutem declaratæ contemplationem ita subjungente: *nullam aliqua in re dantes offensionem, ne vituperetur ministerium nostrum, sed in ominibus commendemus nos ipsos, tanquam ministri Dei*. Quemadmodum enim pauper spiritu, nisi regeneretur ex aqua, & spiritu non poterit intrare in regnum cœlorum propter Domini sententiam: ita rursùs, nisi justitia ipsius abundaverit plusquam Scribarum, ac Pharisæorum: aut si talium aliud quicquam defuerit, propter similem sententiam, non habebitur dignus regno cœlorum. Scriptum enim est, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, quæ non haberet maculam, aut rugam, aut talium aliud quicquam, sed ut esset sancta, & immaculata. Talia multa sunt, ex quibus diligens lector adhuc fortiùs confirmare poterit, quod oporteat eum omnia adimplere, qui regno cœlorum dignus esse cupiat. Quod autem qui abundanti justitia præditus, aut è supernis re-

generatus est, omnium simul virtutum, & earum quoque, quibus beatitudines adscribuntur, ac reliquarum prçfectionem adimpleverit, & harum similium patrator sit, in confesso est, & hoc quæ de superna regeneratione paulo post, gratia Dei, dicentur, demonstrabunt. Quoniam verò pietatis vestræ, ut & supra dictum est, mandatum, sermonem hunc de præclarissimo secundum Evangelium baptismate à nobis requisivit, post ea, quæ jam de regno cœlorum dicta sunt, consequens esse puto, ut breviter etiam quæ inter Mosis, & Joannis baptismum sit differentia discamus, ut sic per gratiam Dei digni habeamur, qui admirabilem in baptismate Domini nostri Jesu Christi excellentiam propter incomparabilem gloriæ abundantiam cognoscamus. Esse enim templo majus aliquid hic, unigenitus viventis Dei Filius definivit, & majus etiam Salomone hic, & majus quoque Jona hic. Et Apostolus postquam de gloria Mosis, in ministerio legis, Judæis inacessa, disseruit, contestatur ita subjungens. *Etenim glorificatum non fuit, quod glorificatum est in hac*

hac parte, propter excellentem gloriam. Et Joannes Baptiſta, quo inter natos mulierum major eſt nemo, teſtificatur, dicens: *nunc quidem illum oportet creſcere, me autem minui*. Nunc verò, *Ego quidem baptizo vos in aqua ad reſipiſcentiam, ille verò baptizabit vos in Spiritu ſancto & igne*: & talia multa. Quantum verò diſcriminis eſt inter Spiritum ſanctum, & aquam, tantundem videlicet eſt, & inter eum, qui baptizat in Spiritu ſancto, & eum, qui baptizat in aqua: ita de ipſo baptiſmate habet, ut ipſe Joannes, qui tantus, ac talis, & tantoperè ab ipſo Domino deprædicatus eſt, liberè prędixerit: *Non ſum ſufficiens ad hoc, ut corrigiam calceamenti illius ſolvam*. Itaque ex his omnibus manifeſtum eſt, quæ ſit baptiſmatis ſecundum Evangelium Chriſti eminentia, quam etiam pro dignitate cognoſcere impoſſibile ſit, vel pro noſtra facultate, eaque ut à Deo nobis ſubminiſtratur, ex ſcripturis commendare pium eſt, & utile. Baptiſmus itaque per Moſen traditus, primum peccatorum differentiam obſervavit. Non enim quævis peccata remiſſionis gra-

tiam assequebantur. Deinde verò & differentia sacrificia exigebat. Purificationem studiosè petebat. Impurum, & maculatum aliquandiu à reliquis separabat, dierum,& horarum observantiam statuebat. Et tunc baptismus illis, à quibus accipiebatur quasi quædam purificationis erat obsignatio. Joannis verò baptisma multis modis excelluit. Nullam enim prorsùs faciebat peccatorum differentiam. Nullum exigebat sacrificiorum discrimen. Purificationem studiosè non efflagitabat, nec dierum, aut horarum habebat observantiam, nec ulla prorsùs facta dilatione, per gratiam Dei, & Christi ipsius, simul atque accesserat quis, & peccata sua, quantacumque & qualiacumque fuissent, confessus fuerat, in Jordanis flumine baptizabatur, & confestim peccatorum remissionem accipiebat. Domini verò baptisma omnem humanam rationem superat, & gloriam habet quodcunque humanum desiderium, ac votum excellentem, ac majore gratiæ, & virtutis supereminentia reliqua superat, quàm solis splendor cæteras stellas excellit. Si verò sanctorum dicta

ad memoriam revocentur, adhuc exactiùs illa incomparabilem dominici baptismatis excellentiam commendabunt. At propterea nobis tacendum non est, sed necessarium, ut verbis Domini nostri Jesu Christi, quasi viæ ducibus, & veluti per speculum, & in ænigmate ducti, loquamur, non ut per nostram expositionem, & corporis imbecillitatem, sermonemque abjectum, imminuatur gloria bapismatis Christi: sed ut hoc quoque pacto magnitudo lenitatis, ac bonitatis boni Dei celebris reddatur, dum de magnificentia dilectionis, ac gratiæ suæ, quæ in Christo est, balbutientes tolerat. Dixit itaque Dominus noster Jesus Christus: *nisi quis nascatur denuò, non poterit videre regnum Dei*. Et iterum: *nisi quis nascatur ex aqua, & spiritu, non poterit intrare in regnum Dei*. Post resurrectionem verò ex mortuis, adimpleta jam in ipso prophetia Davidis, ex persona Dei, ac Patris dicentis, *filius meus es tu, ego hodie genui te. Pete à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, ac possessionem tuam terminos terræ*. (Quod & factum est, & jam omnium ocu-

lis expositum, discipulis suis deinceps, tanquam aliud mandatum priori opponens, quo in vias gentium abire prohibuerat, præcepit, dicens. *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Necessarium autem arbitror, ut singulorum verborum virtutem per fidem intelligamus, & consideremus, loquamurque, prout nobis per communes preces sermo in apertione oris nostri dabitur. Scriptum namque est: *Nisi credideritis non intelligetis*. Et iterùm: *Credidi, propter quod & loquutus sum*. Quoniam verò & nominum, & verborum, ac rerum usum, in divinitùs tradita scriptura, de Deo, & Christo ipsius, in sanctis Prophetis, Evangelistis, & Apostolis, non utcumque, ac temerè pro communi consuetudine accipiendum, sed ut à Spiritu sancto decretum est, ad scopum piæ sententiæ, idque non universaliter, sed ex parte, & quatenus unumquodque ad propositum sanæ doctrinæ facit, & piè sentiendum, & mentem ad judiciorum, ac decretorum pietatis cognitionem inducendam esse judico: necessarium est, ut & nos exquisitè, & vi-

& vigilanter unicuique dicto attendamus, & eum sensum eligamus, qui supernæ vocationis scopo serviat. Et hoc faciemus, siquidem nos, per communes preces, Jesus Christus unigenitus viventis Dei Filius confirmarit, ut & in nobis fiat, quod Apostolus dixit: *Omnia possum in Christo, qui me confortat*. Illud igitur denuo, emendationem præteritę nativitatis, in peccatorum immunditia factæ, significare puto, dicente Job, quod nemo purus sit à sordibus, etiam si vita sit unius tantùm diei: & Davide lugente, ac dicente: *Quoniam in iniqitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*: Apostoloque contestante, quod omnes peccaverint, & egeant gloria Dei, justificati gratis ipsius gratia per redemptionem, quę est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ipsius. Quapropter & credentibus peccatorum remissio datur, ipso Domino dicente: *Hic est ille sanguis meus novi testamenti, qui pro multis in remissionem peccatorum effunditur*. Quemadmodum & Apostolus iterùm testatur, dicens: *Secundum beneplacitum vo-*

luntatis ipsius, ad laudem gloriæ gratiæ ipsius, quæ exuberavit in nos. Ut quemadmodum statua obtrita jam, & obtusa, amissa illustri regis figura, denuo à sapiente artifice, & bono opifice fingitur, ut figmenti sui gloriam recuperet, & pristino splendori restituatur: ad istum modum & nos, propter præcepti divini transgressionem depravati, ut scriptum est: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*: ad pristinam imaginis Dei gloriam revocemur. *Secundum imaginem enim*, inquit, *& similitudinem Dei fecit Deus hominem*. Quomodo verò hoc factum sit, Paulus Apostolus docuit, dicens: *Gratia Deo, quod cum fueritis servi peccati, obedistis ex corde, formæ illi, in quam traditi estis, doctrinæ*. Ut quemadmodum cera, sculpturæ typo tradita, figuram eam, quæ sculpturæ inest, diligenter exprimit: ita & nos, typo Evangelicæ doctrinæ nos ipsos tradentes, secundum internum hominem figuremur, implentes, quod præcipiendi modo ab illo dictum est: *deponentes enim*, inquit, *veterem hominem cum acti-*

bus suis, & induti novum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui condidit ipsum: & multa talia. Illud verò, ex aqua nasci, Paulus in Christo loquens, decernit, ac tradit dicens, *An ignoratis, fratres, quod quicumque in Christum Jesum baptizati sumus, in mortem ipsius baptizati sumus?* Consepulti itaque ipsi sumus per baptismum in mortem, ut quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris: ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati sumus ad similitudinem mortis ejus, & resurrectionis quoque participes erimus, scientes hoc, quod vetus noster homo simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut amplius non serviamus peccato. Qui namque mortuus est, justificatus est à peccato. Si verò mortui sumus cum Christo, credimus, quod & victuri sumus cum illo. Scientes, quod Christus excitatus ex mortuis amplius non moritur, mors illi amplius non dominatur. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quod verò vivit, vivit Deo. Ita & vos, reputate vos ipsos, mortuos quidem pec-

cato, viventes verò Deo in Christo Jesu. Ex quibus omnibus, & sensus regenerationis per similitudinem considceratur. Erat autem impossibile denuo nasci, nisi regenerandos prævenisset gratia Dei, ut cùm ex præcedentibus ipse Apostolus, tùm subsequentibus de baptismate capitibus declarat. Exorsus enim ab eo, quo dixit, commendat autem dilectionem suam Deus erga nos, quòd cum adhuc peccatores essemus, Christus prò nobis mortuus est: multo itaque, magis justificati nunc in sanguine ipsius servabimur per ipsum ab ira. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus: multo magis reconciliati servabimur in vita ipsius. Talia multa, conspicuè, & magnificè amplam, & ineffabilem bonitatem, & humanitatem Dei commendantia, in dono remissionis peccatorum, & potestate, ac virtute eorum, quæ ad gloriam Dei, ac Christi ejus, in spe vitæ æternæ per Jesum Christum Dominum nostrum perfecta sunt, per cujus unius justificationem in omnes homines ad justitiam vitæ, sicut per unius delictum in omnes homines ad

condemnationem, & quæ ſequuntur, ubi tradidit, & expoſuit, ſubjungit: *An ignoratis fratres, quod quicumque baptizati ſumus in Chriſtum Jeſum in mortem ipſius baptizati ſumus?* Quamobrem? ut gratia Dei nos præveniente, quæ noſtri ſunt officii ſecundum fidem per dilectionem operemur, & conferamus, atque ita perficiatur erga nos beneplacitum divinæ in Chriſto dilectionis; ad quod magno opus eſt, ac legitimo certamine, ne talem, ac tantam gratiam dilectionis Dei in Chriſto fruſtrà accipiamus, eodem Apoſtolo dicente: *Eum namque, qui peccatum non novit, peccatum pro nobis fecit; ut nos eſſemus juſtitia Dei in ipſo.* Adjuvantes autem obſecramus etiam, ne fruſtrà gratiam Dei accipiatis. Quoniam, *cui multum concreditum eſt, ab illo & abundantiùs repetent*, ut conſtanter definivit Dominus. Quod & inculpatè fiet, ſi quę in prędictis jam inducta, & quæ ad eandem baptiſmatis materiam conjunctim dicta ſunt diligenter cuſtodiantur, & quæ iſtis ſunt juncta, in virtute gratiæ Dei per Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum in Spiritu ſancto, fideliter acceperimus, ut creden-

dentes per gratiam Dei intelligamus, & quæ intelligere promeruerimus, in dilectione Christi faciamus, qui dixit: *Si ista scitis, beati estis, si ea feceritis*. *Intellectus enim bonus est*, ut Propheta testatur, *omnibus facientibus ipsum*, ipsius unigeniti vivẽtis Dei Filii, terribile, & inevitabile judicium exponens, quo dixit: *Qui scit voluntatem Domini sui, & non facit eam, vapulabit plurimum: imò nec eum, qui per ignorantiam deliquit, impunitum dimittit*. Et ut, quemadmodum prædictum est per manifestiora verba, ac res clariores, ad cognitionem Servatoris, & decreti ipsius in baptismate, ad veritatis certam persuasionem quasi manu ducamur, diligienter significata observemus, & ad scopum pietatis omnem sensum adaptemus. *Baptizati sumus*, inquit, ut ex ista similitudine veritatem discamus. Quoniam sicut lana tincturæ immersa, ad colorem illius mutatur, imò magis, ut Baptista Joanne, qui de Domino prædixit quod ipse esset nos baptizaturus in Spiritu sancto, & igne, veluti ductore usi illustremur luce cognitionis, ad cognoscendum lucem il-

lam

lam magnificam, hoc dicamus. Quod ſicut ferrum immerſum igni, per flatum excitato, proditur quidem, num aliquid in ſe habeat vitii, ſimul verò, & aptius ad purgationem redditur; & non ſolum color illius, ſed & durities, & intractabilitas ad mollitiem, ac teneritudinem mutatur, & commodius fit operi manuum artificis, adaptaturque competentius, ac certius ad voluntatem Domini: & relicta nigredine illuſtrius ſeipſo factum, non ſolùm ipſum jam ignitum eſt, ac ſplendidum, ſed & vicina illuſtrat, & calefacit: ita conſentaneum eſt, ac neceſſarium, eum, qui baptizatus eſt in igne, id eſt, in verbo doctrinæ, quod & peccatorum malitiam arguit, & juſtificationum gratiam manifeſtat, odio habere, & execrari injuſtitiam, ſicut ſcriptum eſt, & deſiderio affici, ut per fidem purificetur in virtute, ſanguinis Domini Jeſu Chriſti, ipſo dicente: *Hic eſt ſanguis meus, ſanguis novi teſtamenti, qui pro multis effunditur, in remiſſionem peccatorum*: & Apoſtolo conteſtante, in quo habemus redemptionem per ſanguinem ipſius, delictorum condonationem: & ut non ſolùm ab omni

ini-

iniquitate, & peccato, ſed & ab omni inquinamento carnis, ac ſpiritus mundetur, atque ita baptizatum in mortem Domini configurari morti, quod eſt, mortificari peccato ſibi ipſi, ac mundo, ut ſecundum incarnationem vivens, & corde, & ſermone, & operibus, ſicut cera ſculpturæ, ita doctrinæ Domini noſtri Jeſu Chriſti impreſſus, & adformatus, impleat illud, quod ſcriptum eſt: *Gratia Deo, quod cum fueritis olim ſervi peccati, obediviſtis ex corde in eam, in quam traditi eſtis, doctrinæ formam*: & ita quod priori conjunctum eſt, cuſtodire promereatur; nempe conſepulti igitur ſumus per baptiſmum in mortem. Ad quid? Ut quemadmodum Chriſtus excitatus eſt ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Neceſſe namque eſt, ut qui mortuus eſt ſepeliatur, & qui in ſimilitudine mortis ſepultus eſt, per gratiam Dei, quæ in Chriſto eſt, reſurgat; nec amplius propter peccata interni hominis vultum inſtar ollæ ferventis habeat: ſed manifeſtatis per ignem peccatis, & accepta per ſanguinem Chriſti remiſſione, deinceps per vi-

tæ novitatem fulgentes ostendat in Christo justificationes, quovis lapide plurimùm pretioso illustriores. Itaque deposita inobedientiæ duritie, ostendamus obedientiam, & subjectionem in divinis præceptis, spirituque ferventes resplendeamus, & à tenebrarum potestate in mortem abripiente liberemur. Stipendia namque peccati mors, ut & in nobis locum habeat, quod ab Apostolo dictum est, *Absorpta est mors ad victoriam. Ubi mors stimulus tuus est? ubi tua est, inferne, victoria?* Domino verò Soli justitiæ obtemperantes, illuminemur ab ipso, intellectusque, & virtutis gratiam promereamur; ut in ipso justificemur, & non solùm ipsa nive reddamur candidiores (est enim verax Deus, qui ita promisit dicens; *quoniam si fuerint peccata vestra sicut purpura rubicunda, velut nix alba erunt*) sed & vicinos nostros illustremus, nunc quidem audientes dicentem Dominum, *vos estis lux mundi*, nunc verò audientes, ac facientes, quod dicit; *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est*. Tunc

&

& Apoſtolus nos omninò conteſtabitur dicens, *in quibus apparentis tanquam luminaria in mundo ſermonem vitæ habentes, ad gloriationem meam in diem Chriſti*. Quomodo verò non eſſet abundantiùs conſpicua vitę novitas, non jam ex gentilium tantùm, & ſæcularium hominum collatione, ſed & ex eorum collatione, qui in juſtitiis legalibus eximii fuerunt? Quando non ſolùm amplius aliquid extra neceſſitatem, & acceſſorium non deſiderabimus, quod & homines hujus mundi faciunt, ſed nec ea, quæ jam præſentia ſunt, ac noſtra, affectabimus, & ad benefaciendum egenis pluſquam lex exigit, contendemus. Non enim proximis ſolùm benefacimus, ſed ad inimicos etiam, & pravos ſeſe benignitas noſtra extendit, ſecundum præceptum Domini noſtri Jeſu Chriſti facientes, quo pręcepit, ut miſericordes ſimus, ſicut & Pater noſter cœleſtis miſericors eſt. Et quomodo non ambulabimus in novitate vitæ, & ſupra Scribas, & Phariſæos juſtitiam perficiemus, ſi obtemperabimus Domino dicenti, *dictum eſt antiquis, oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego ve-*

rò

rò dico vobis, ne resistatis malo: sed si quis tibi dexteram maxillam percusserit, obverte illi & alteram. Et si quis tecum judicio contendere, & tunicam tibi tollere voluerit, relinque illi & pallium. Et si quis te vi adegerit ad milliarium unum, abito cum illo duo. Non solùm enim commissa jam in nos delicta, non ulciscimur, ut Scribæ, & Pharisæi suadent, hoc lege Mosaica permittente, sed majorem quoque patientiam ostendemus, alacritate tolerantiæ ad paria, vel etiam graviora ferenda parati, & expositi. Et hoc pacto utrumque lucramur. Mortem quidem in eo, quòd ad indignationem adversus eum, qui primam nobis plagam intulit, non permovemur: vitæ verò in Domino novitatem, in eo, quòd & ad aliam perferendam parati sumus. Quomodo autem non & legi mortuus est, qui sibi non vindicat, quod aufertur? Quomodo non in Christo vivit, qui & pallium ablatæ tunicæ adjicit? Docemur autem ad hunc modum omnem simul legis justitiam excellere. Quod autem nos non mundo solùm crucifigi, sed & legi mori oporteat ab ipsa

licet

licet Apostolo discere, qui nunc quidem dicit: *Ego mundo sum crucifixus, & mundus mihi, vivo autem non jam ego, sed vivit in me Christus*: nunc verò: *ego per legem legi sum mortuus, ut Deo vivam cum Christo sum crucifixus*. Aliquando post multam gloriationem de excellenti in lege claritate, quam olim habuerat, dicit: *sed nunc omnia illa pro stercore duco, ut Christum lucrifaciam, & inveniam in ipso habens non meam justitiam, quæ est ex lege, sed eam, quæ est per fidem Jesu Christi, justitiam ex Deo in fide, ut cognoscam ipsum, & virtutem resurrectionis ipsius, ac communicationem adflictionum ejus configuratus morti ipsius, si quo pacto pertingam ad resurrectionem mortuorum*. Et paulo post docens nos, ut idem cum ipso sentiamus, expressiùs dicit: *quotquot igitur perfecti sumus, hoc sentiamus*. Et alibi vehementiùs tanquam necessarium dogma exponens dicit: *Itaque & vos mortificati estis legi per Corpus Christi, ut sitis alterius, ejus scilicet, qui excitatus est ex mortuus, ut fructificemus Deo. Cum enim essemus in carne, affectiones*

nes

nes peccatorum, quæ sunt per legem operabantur in membris nostris, ut fructificaremus morti. Nunc verò soluti sumus à lege mortis ejus, in qua detinebamur, ut serviamus in novitate spiritus, & non in vetustate literæ. Litera namque, id est lex, *occidit, spiritus verò*, id est verba Domini, *vivificat*. Sicut ipse dicit, *caro enim nihil prodest, spiritus est, qui vivificat: verba mea spiritus sunt, & vita*. Testatur verò eximius ille inter Apostolos dicens. *Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus, & cognovimus, te esse Christum Filium Dei viventis*. Hoc si in veritatis certa persuasione diligentiori cura servaverimus; horrendum illud judicium effugiemus, quod à Mose quidem cum comminatione prophetice scriptum est. *Prophetam vobis excitabit Deus, sicut me: ipsum audietis in omnibus quæcumque vobis præceperit. Erit autem ut omnis anima, quæ non audiet Prophetam illum, exterminetur de populo suo*. A Joanne verò Baptista, quo inter natos mulierum major est nemo, terribilius, & expressius est dictum. *Qui credit in filium, habet*

bet vitam æternam : qui verò incredulus eſt in filio non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper ipſum . Ne verò talis in baptiſmate mors, & talis in illa ſepultura , mœſtitiam in expectatione corruptionis, & interitus exibeat , ſed novitas vitæ jactam ſementem exuperet, & glorioſæ reſurrectionis ſpem confirmet, ſubjungit dicens . *Si namque inſititii facti ſumus ſimilitudini mortis ipſius, ſimul & reſurrectionis erimus* . Nam ſi in tali mortis ſimilitudine Chriſto commortui , & conſepulti in novitate viæ ambulaverimus, non mortalitatis corruptionem ſubimus, ſed ſepulturam , & veluti ſeminum conſitionem imitamur : ac mortificantes nos ipſos operibus nefaſtis, & fidem per dilectionem efficacem oſtendentes , digni reddimur, qui cum Apoſtolo poſt ipſorum ſpem dicamus: *noſtra converſatio in cælis eſt* : ex quo & Servatorem expectamus Dominum Jeſum Chriſtum , qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, ut conforme reddatur corpori ipſius glorioſo, ſecundum operationem ejus, qua poteſt etiam ſibi ipſi ſubjicere omnia . Atque ita ſemper cum Domino erimus,

ipſo

ipſo Domino noſtro Jeſu Chriſto à Patre hoc petente, ac dicente: *Da Pater, ut ubi ego ſum, & iſti mecum ſint*: deinde præcipiente ſimul, ac promittente, cum dicit: *qui mihi miniſtrat me ſequatur, & ubi ego ſum, ibi erit & miniſter meus*. Prætereà & Paulo Apoſtolo teſtante, & in Chriſto prædicente, dum ita ſcribit: *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quod nos, qui vivimus, qui reſidui erimus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui obdormierunt*. Quoniam ipſe Dominus cum hortatu, in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo, & qui in Chriſto ſunt, excitabuntur primi. Deinde nos qui vivimus, qui reliqui erimus; ſimul cum illis rapiemur in nubibus in occurſum Chriſti, in aëre, & ſic ſemper cum Domino erimus. Et hoc pacto in iis, qui cuſtodierint illud. Si enim complantati facti fuerimus ſimilitudini mortis ipſius, tunc promiſſio illa adimplebitur, nimirùm, ſimul & reſurrectionis erimus participes, quemadmodum & alibi dicit, *Si namque commortui fuerimus, & convivemus: ſi ſuſtinuerimus, & conregnabimus*. Cum autem ſciret Apoſtolus

re-

repetitionem utilem esse audientibus ad certitudinem, dum veritatis persuasionem per eorundem resumptionem firmiorem illis inculcat. De eodem enim illum dicentem audimus: *Eadem vobis scribere mihi quidem non est molestum, vobis verò tutum.* Quemadmodum & à Joseph didicimus bis somnium Pharaoni Regi interpretante: ita historiam insomnii imitatus Apostolus, idem baptismatis dogma iisdem, quibus & antea, considerationibus expendendum tradidit, dicens: *Scientes hoc, quod vetus noster homo una crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ne serviamus ultrà peccato.* Et per hæc itaque verba eum, qui baptizatur in Christo, in mortem ipsius baptizari docemur: & quod non solùm sepeliatur cum Christo, & complantetur, sed primùm unà crucifigatur, ut & in hoc instruamur, quemadmodum qui crucifigitur à viventibus abalienatur: ita & eum, qui in similitudine mortis cum Christo crucifigitur, abalienari ab omnibus, qui secundum veterem hominem vivunt: Domino quidem præcipiente, ut à Pseudoprophetis nobis caveamus: Apostolo autem admonente, ut subtra-

tra-

trahamus nos ab omni fratre inordinatè ambulante, *& non ſecundum traditionem, quam accepit*, inquit, *à nobis*. Vetus enim homo, quem vocat, omnia ſimul, & ſingulatim peccata, & inquinamenta, tanquam ſua membra complectitur, & ſignificat. Et quemadmodum qui crucifigitur mortis ſubjectus condemnationi, ab illis disjungitur, cum quibus aliquando vitæ commercium habuit, ſublimior jam illis, qui in terra adhuc repunt, factus: ita & qui cum Chriſto per baptiſma crucifigitur, ab omnibus in univerſum, qui ſecundum hoc ſæculum vivunt, abalienatus eſt, ſublata jam mente ad cœleſtem converſationem exaltatus; ut queat verè, & cum fiducia, quæ in Chriſto eſt dicere: *noſtra converſatio in cœlis eſt*. Et iterùm ſubdit Apoſtolus: *qui enim mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato*, hoc eſt abſolutus eſt, liberatus eſt, ab omni peccato repurgatus eſt, non ſolùm quod operibus, ac verbis, ſed quod & ipſis cogitationum affectibus ſit commiſſum. Et alio in loco definivit, ſcribens: *qui verò Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum concupi-*

ſtri de peccatorum noſtrorum remiſſione, per incarnationem illius ad mortem uſque graviùs nos, & robuſtiùs inſtruit, decernens, mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo in Chriſto Jeſu: ut quemadmodum Chriſtus mortuus eſt propter nos, & excitatus ex mortuis pro nobis, amplius non moritur: ita & nos in mortem in ſimilitudine baptizati, peccato moriamur, & per aſcenſum ex baptiſmate, tanquam ex mortuis excitati, vivamus Deo in Chriſto Jeſu, & non moriamur poſthac amplius, hoc eſt non peccemus amplius. Quoniam anima, quæ peccat, ipſa morietur: & quemadmodum mors Chriſto non dominatur amplius, ita & nobis non dominetur amplius peccatum, hoc eſt, non faciamus amplius peccatum. Qui namque peccatum facit, ſervus eſt peccati. Liberati autem omninò ab ejuſmodi ſervitute, ſicut Apoſtolus manifeſtavit, dicens: *qui verò Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum concupiſcentiis, & animi affectionibus*: vivamus Deo in Chriſto Jeſu, qui nos liberavit, ſicut ſcriptum eſt: *Chriſtus nos liberavit à maledicto legis factus pro nobis*

bis maledictio. Quoniam autem peccati plurimum præcessit, manifestum est, quod gratia Domini nostri Jesu Christi hoc præstitit, sicut scriptum est: quemadmodum enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per obedientiam unius, justi constituuntur multi: *state igitur*, inquit, *& nolite iterùm jugum servitutis subire*. Et quemadmodū ipse peccato mortuus est semel, quod autem vivit, vivit Deo: ita & nos in baptismo aquę, qui crucis, & mortis similitudinem gerit, peccato mortui semel, custodiamus nos ipsos, ne denuò ad peccatum redeamus: perseveremus autem viventes Deo in Christo Jesu, dicente: *qui mihi ministrat, me sequatur*. Quod faciemus, si primùm mandatum ipsius custodierimus, quo dicit: *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui est in Cœlis*: deinde & Apostoli denuntiationem, qua sic scripsit; *sive comedatis, sive bibatis, sive quid aliud faciatis, omnia ad gloriam Dei facite*. Assequemur autem horum quodque, si dignè vocatione cœlesti af-

fecti fuerimus, dignèque Evangelio Christi conversemur, ut cum veritate queamus dicere: charitas enim Dei constringit nos judicantes hoc, quod si unus pro omnibus mortuus est, igitur oportet omnes esse mortuos. Et pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt amplius sibi ipsis non vivant, sed ei, qui pro ipsis est mortuus, ac resurrexit. Et ita præstabitur hoc: *Manete in dilectione mea. Si mandata mea servaveritis, manebitis in dilectione mea: sicut ego mandata Patris mei servavi, & maneo in dilectione ipsius*. Nullam autem aliqua in re dantes offensionem, ne vituperetur ministerium nostrum. In omnibus verò commendantes nos ipsos tanquam ministri Dei, sinceram, & veracem ostendemus baptismatis promissionem, si custodierimus, quæ ab Apostolo per consolationem ad eos, qui Christo sunt complantati, & cum eo excitati, ad hunc modum sunt dicta: *ne regnet itaque peccatum in corpore vestro mortali, ut obediatis illi ad concupiscentias ipsius. Neque exhibeatis membra vestra arma injustitiæ peccato, sed exhibete vos ipsos Deo tanquam ex mortuis viventes. Et membra vestra* ar-

arma justitiæ Deo. Et iterùm : *itaque si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est ad dexteram Patris sedens, quæ sursum sunt sapite, & non quæ super terram sunt*. Ita puto nobis Apostolum per anapodoton per ea, quæ paucis commemorata sunt, dilucidare magnam illam immensæ humanitatis Dei gratiam, quæ nos in dilectione Christi Jesu Domini nostri prævenit, cujus nobis ad mortem usque obedientia, sicut scriptum est, facta est redemptio peccatorum, libertas à morte, quæ in peccato mundi regnavit, reconciliatio cum Deo, facultas placendi Deo, justitiæ donum, communio sanctorum in vita sempiterna, regni Cœlorum hęreditas, & mille aliorum bonorum præmium. Sapienter verò, & solidè nobis per ea, quæ conjunctim adducta sunt, quæ ratio baptismatis aquæ, quod fit in mortem Domini nostri Jesu Christi, tradidit, per quæ nos instruit, ut nos ipsos communiamus, ne in vacuum tantam, ac talem gratiam accipiamus, cũ ea dicit, quorum jam memini. *Ne regnet peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis illi ad concupiscentias*

ejus, neque exhibeatis membra vestra arma injustitiæ peccato, sed exhibeatis vos ipsos Deo, tanquam ex mortuis viventes: & membra vestra arma justitiæ Deo, & quæ sequuntur. Quibus nos prorsùs ab omni peccato, & à legis quoque justitia avulsos, arctiùs justitiæ, quæ secundum Deum est, adducit, cùm per horribiles illas minas, tùm per bonam, & desideratissimam promissionem, dum dicit; *obsonia peccati mors, donum verò Dei vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro*. Imitari rursùs Dominum, & per legalem justitiam meliores fieri nos docet subjungens: *an ignoratis fratres (scientibus enim legem loquor) quod lex dominatur homini, quandiu ille vivit. Mulier enim, quæ sub viro est, viventi viro alligata est per legem: si verò vir ipsius mortuus fuerit, soluta est à lege viri. Vivente itaque viro adultera censebitur, si juncta fuerit alteri viro. Si verò mortuus fuerit vir, libera est à lege, ut jam non fiat adultera, si jungatur alteri viro. Itaque, fratres mei, & vos mortui estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius jam, ejus videlicet, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo. Cùm enim essemus*

in

in carne, affectiones peccatorum, quæ sunt per legem, operabantur in membris nostris ad fructificandum morti. Nunc verò soluti sumus à lege, mortui ei, à quo detinebamur, ut jam serviamus in novitate spiritus, & non in vetustate literæ, & quæ consequuntur: quibus ineffabilem Dei in Christo Jesu humanitatem admirari, & cum majore timore repurgare nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, docemur. Discrimen verò spiritus, ac literæ, alio loco per legis, & Evangelii collationem, pronunciando declarat, dicens; *litera quidem occidit, spiritus verò vivificat:* literam vocans legem, ut per ea, quæ ibi conscripta sunt, manifestatur: spiritum autem, Doctrinam Domini, ipso Domino dicente: *verba mea spiritus sunt, & vita*. Quod si legalis justitia diligenter observata, quibusdam, qui seipsos in baptismate Deo obtulerunt, professique sunt, quod nolint amplius sibi ipsis, vivere, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, ac resurrexit, adulterii crimen adfert, ut per prædicta clarè demonstratum est: quid dicendum est de traditionibus humanis? Sanè de legali justitia ipse Apostolus acriùs

pronuntiat, dicens: *Quin omnia damnum esse puto, propter excellentiam cognitionis Christi Jesu Domini mei, propter quem omnia pro damnis duxi, & pro stercore reputo, ut ipsum Christum lucrifaciam, & inveniar in ipso habens non meam justitiam, quæ est ex lege, sed eam, quæ est fidei Christi Jesu, justitiam ex Deo*. Manifestum itaque est de traditionibus humanis judicium ex verbis Domini. De propriis verò consiliis, ac cogitationibus, quæ sunt in sapientia humana, contentiosiorem demolitionem facere docuit nos Apostolus, dicens: *Arma namque militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo ad demolitionem munitionum, quibus consilia demolimur, & omnem celsitudinem, quæ extollitur contra cognitionem Dei*. Vel certè in universum de justitia, quæ cuique arridet, etiamsi propter Deum diligenti studio fiat, de qua iterùm ipse Apostolus dicit: *Testimonium enim illis perhibeo, quòd zelum Dei habent, at non secundum scientiam. Ignorantes enim justitiam Dei, & propriam statuere quærentes, justitiæ Dei non sunt subditi*. Itaque ex istis, & similibus manifestum est eorum judicium,

qui

qui judicia Dei suis commentis enervare volunt. Scriptum enim est: *væ sapientibus apud semetipsos, & in oculis suis intelligentibus*: idem apertiùs pronuntiante Domino, ac dicente: *Quisquis non acceperit regnum Dei sicut parvulus, non ingredietur in illud*. Quapropter necessarium est, ut pariter ab omnibus repurgemur, ac liberemur, sive diabolicis concupiscentiis, sive mundanis fastigiis, sive traditionibus humanis, aut propriæ voluntatis consiliis, etiamsi plausibilia, & speciosa videantur, & legis patrocinio commendentur, si vel modicè à debito, properantique voluntatis divinæ studio, impediant, ut qui in hujusmodi baptismate professi sunt, quod velint cum Christo crucifigi, mori, sepeliri, complantari, excitari, fiduciam habeant cum veritate dicendi: *Ego mundo crucifixus sum* (multo prius autem diabolo) *& mundus mihi. Vivo autem non jam ego, sed vivit in me Christus*: quibus verbis eam justitiam docet, quæ legis justitiam excellat, ut digni habeamur regno cœlorum. Tempestivum jam fuerit deinceps ad eam considerationem transire, qua per fidem Christi

intelligentiam acquiramus, cognoscamusque quid sit baptizari in nomen Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Primùm itaque necessarium est, ut separatim, quod sit uniuscujusque nominis significatum declaremus. Deinde sciamus, quod in nomine Spiritus sancti baptizari, quid sit, Dominus ipse declarat, dicens: *Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Quod ideò fit, ut carnalis nativitatis serie exempli vice proposita, ex re manifestiore pietatis dogma clarè, ac verè discàmus, scientes, ac certò persuasi, quod quēadmodum quod secundum carnem natum est ex aliquo, tale est, quale id, ex quo natum est: ita & nos necessariò ex spiritu natos, spiritum fieri. Spiritum dico, non secundum immensam illam, & humano sensui incomprehensibilem Spiritus sancti gloriam, sed secundum eam, quæ in divisione charismatum Dei per Christum ipsius, unicuique ad utilitatem facta, & in illorum omnium operatione, per ænigma conspicitur, ut & in aliis dictis similiter, de quibus nos ipse spiritus, secundum mandata Dei, quæ per Dominum nostrum Jesum Christum

ſtum denuntiata ſunt, admonet, ac docet, ipſo Domino noſtro JeſuChriſto dicente: *Ipſe vos docebit, & de omnibus admonebit, quæ dixi vobis.* Deinde Apoſtolus latiùs tradit, per quos ſenſus aliquis ſpiritus fieri poſſit, dum ſcribit aliquando quidem: *Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, animi lenitas*, & quæ ſequuntur, cum præmiſiſſet: *Qui verò ſpiritu aguntur, non ſunt ſub lege.* Et alibi: *Si ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus.* Aliquando verò: *Habentes autem chariſmata, ſecundum datam nobis gratiam Dei, differentia, ſive prophetiam, ſecundum proportionem fidei, ſive miniſterium in miniſtrando*, & quæ ſubſequuntur. Per hæc & ſimilia Dominus ex ſpiritu natos, ſpiritum fieri dicit. Atteſtatur autem & Apoſtolus dicens: *Hujus gratia flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur, ut det vobis, juxta divitias gloriæ ipſius, virtute corroborari per ſpiritum ipſius, ut in interno homine habitet Chriſtus: ſi verò ſpiritu*, inquit, *vivimus, ſpiritu & ambulemus, ut hoc pacto ſancti Spiritus capaces facti Chriſtum confiteri*

queamus : propterea quod nemo potest Dominum dicere Jesum, nisi in Spiritu sancto. Igitur ad hunc modum Dominus cùm per seipsum, tùm per Apostolum, ex spiritu natos, spiritum fieri docuit. Rursùs & in hoc imitabimur carnalem generationem. Primùm quidem ut locum mutemus, & vivendi modum transformemus, per hoc, quod spiritus confirmat internum hominem, ut possimus dicere. *Nostra conversatio in cœlis est*. Nam licet corpus in terra tanquam umbram aliquam circumferamus, animam tamen cum cœlestibus agentem conservamus : deinde & ab illis, qui in terra nobiscum agunt, secedentes, cum Davide dicamus : *Eum, qui occultè proximo suo detrahit, persequebar, cum superbo oculo, & insatiabili corde, cum hoc non edebam. Oculi mei ad fideles in terra, ut, ipsi sedeant mecum. Qui ambulat in via immaculata, hic mihi ministrabat : non habitavit in medio domus meæ, qui facit superbiam. Qui loquitur injusta, prosperè non egit in conspectu oculorum meorum* : & quæ alibi similia dicit : & quæ Apostolus constanter denuntiat : *Si quis frater nominatus, aut fornicator*,

tor fuerit, aut avarus, aut conviciator, aut vinosus, aut raptor, cum ejusmodi ne cibum quidem sumite. Et ubi talia sępenumerò adversum ejusmodi scelera præscripsit, præmissa de immensa, & gloriosa benignitatis Christi, & humanitatis gratia dissertatione clarè, ac solidè tradit, quibusnam nobis, & qualibus convivendum sit, cum dicit: *Ipse enim est pax nostra, qui fecit ex utriusque unum, & medium parietem maceriæ sustulit*: inimicitiam scilicet, in carne sua, legem præceptorum in decretis sitam amolitus, ut duos conderet in se unum hominem, faciens pacem, & reconciliaret utrosque Deo in uno corpore per crucem, interempta inimicitia in seipso. Et venit, & evangelizavit pacem vobis, qui procul, & qui propè sunt. Quoniam per ipsum habemus utrique accessum in uno spiritu ad Patrem. Itaque non estis amplius advenæ, & peregrini, sed estis concives sanctorum, & domestici Dei, ædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ubi summus angularis lapis est ipse Christus Jesus, in quo omnis ædificatio coagmentata crescit in tem-

templum sanctum Domino, ut hoc pacto Christo in similitudine mortis complantati, & in nomine sancti Spiritus baptizati, & secundum internum hominem in novitate sensus regenerati; denique supra fundamentum Apostolorum, ac Prophetarum ædificati digni habeamur, qui baptizemur in nomine unigeniti Dei, promereamurque magnum illud Dei donum, de quo Apostolus tradidit dicens: *Quotquot baptizati estis in Christum, Christum induistis*. Non est jam Græcus, Judæus, circuncisio, præputium, barbarus, Scytha, servus, liber, sed omnia in omnibus Christus. Necessarium enim est, ac consequens, ut qui natus est, indumento quoque amiciatur: tantum si quemadmodum tabella è qualicumque sit materia, deposita primùm inæqualitate, & detracta asperitate, ita demum picturam regiæ imaginis induit, & tunc imaginis præstantia neque secundum ligni, aut auri, vel argenti valorem judicatur: sed secundum exactam ad archetypum similitudinem, cum multa diligentia secundum artis facultatem certò, & accuratè expres-

sam,

ſam, per quam & materiæ differentiam, licet plurimum ea diſtet ab archetypo, abſcondit, & ad celebritatem ſuam inſpectores attrahit, & honoratior ſit quovis principatu, ac potentatu: ita & qui baptizatur, ſive Judæus ſit, ſive Græcus, ſive maſculus, ſive fœmina, ſive ſervus, ſive liber, ſive Scytha, ſive barbarus, ſive alius quiſquam quacumque generis differentia nominatus, exutus in ſanguine Chriſti veterem hominem cum actibus ſuis, & per doctrinam ipſius novum in Spiritu ſancto indutus, qui ſecundum Deum conditus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis, ac renovatur ad agnitionem ſecundum imaginem ejus, qui condidit ipſum, dignus reddatur, qui pertingat ad beneplacitum Dei, de quo tradidit Apoſtolus dicens: *Scimus enim, quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt. Quoniam quos præſcivit, eos & præfinivit, ut conformes fierent imagini filii ipſius, ut ſit ipſe primogenitus inter multos fratres*. Tunc enim tanquam filium Dei indutus, perfectum gradum promeretur, & baptizatur in

no-

nomen patris ipsius Domini nostri Jesu Christi, qui secundum testimonium Joannis, potestatem dedit, filios Dei fieri, qui dicit. *Exite de medio eorum, & separamini, & immundum ne tetigeritis, & ego suscipiam vos, & ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit Dominus omnipotens*, quod sit gratia ipsius Domini nostri Jesu Christi unigeniti viventis Dei filii, *in quo neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed*, ut scriptum est, *Fides, quæ per dilectionem operatur*, per quam prospero successu assequimur, quod mandato baptismatis mox è vicino à Domino Jesu Christo subjunctum est, dicente: *Docentes eos servare quæcumque mandavi vobis*, quorum observantiam argumentum esse dilectionis nostræ erga se, Dominus ipse definivit, dicens: *Si diligitis me mandata mea servate*. Et iterùm: *Qui habet mandata mea, & custodit ea, ille est, qui diligit me*. Et rursùs: *Si quis me diligit, sermonem meum servabit, & hunc Pater meus diliget*. Et majore serio, & graviùs: *Manete*, inquit, *in dilectione*

ne

ne mea . Si quis mandata mea servaverit , manet in dilectione mea , quemadmodum & ego præcepta Patris mei servavi , & maneo in ipsius dilectione . Si verò necessaria dilectionis nostræ erga Christum demonstratio in observantia mandatorum ipsius sita est, vehementer hic nobis timendum est , quod sine dilectione etiam celebrium illorum charismatum , supernarum , ac cœlestium virtutum , ipsiusque fidei summa efficacia , & mandatum hoc quoque, quod perfectos reddit , inutile est , ipso Paulo Apostolo, qui in Christo loquitur , ita dicente : *Si linguis hominum , & Angelorum loquar , charitatem autem non habeam , factus sum æs resonans , aut cymbalum tinniens . Et si habuero prophetiam, & cognovero mysteria omnia , & omnem scientiam , & si habuero omnem fidem , ita ut montes transferam , charitatem verò non habuero , nihil sum . Et si erogavero omnem substantiam meam , & tradidero corpus meum ut comburar , charitatem autem non habuero , nihil inde utilitatis capiam* . Quæ quidem arbitror Apostolum definitoriè dixisse memorem Domini dicentis : *quoniam multi ve-*

ni-

nient in illa die dicentes, Domine Domine, non in nomine tuo prophetizavimus, & in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & comedimus coram te, & bibimus? & in plateis nostris docuisti? Et respondebo illis. Nunquam agnovi vos: discedite à me operarii iniqui; ita ut conspicuum sit, & irrefragabile, quod sine dilectione, etiamsi præcepta Dei, & justificationes fiant, etiam si mandata Domini custodiantur, & magna operentur in nobis charismata, hæc omnia opera iniquitatis reputabuntur. Non quòd hæc sit ratio charismatum, & justificationum Dei, sed propter scopum eorum, qui istis ad suos affectus abutuntur, dicente eodem Apostolo; *Nunc quidem, qui quæstum esse putant pietatem, nunc verò, quidam, quidem propter invidiam, & contentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem Christū prædicant: quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincerè putantes se hoc pacto adflictionem adferre vinculis meis.* Et alibi: *Non enim sumus*, inquit, *ut multi, cauponantes verbum Dei.* Et iterùm per negationem dixit: *Neque enim unquam fuimus in sermone adulan-*

landi apud vos, ut scitis, neque in prætextu avaritiæ. Deus est testis, neque gloriam quæsivimus ab hominibus, neque à vobis, neque ab aliis, cum possemus graves esse, veluti Christi Apostoli. Ex istis autem, ac similibus locis conspicuè declaratur, quàm justè sit Christus ita responsurus, ac dicturus: *Discedite à me operarii iniqui*. Proptereà quod per charismata Dei propriæ voluntatis negotium, qui tales sunt, agunt perinde, ac si quisquam medicis instrumentis, ac condimentis, quæ singula ad certas passiones, & sanitatis curam, ac salutem parata sunt, ad cędem, & interitum abutatur, nec mandatum Apostoli custodiunt, dicentis; *Sive edatis, sive bibatis, omnia ad gloriam Dei facite*. Omninò itaque necessaria est interni hominis cura, ut submissa sit mens, & ad scopum gloriæ Dei intenta, ut servantes mandatum Domini dicentis: *Facite arborem bonam, & fructum ejus bonum*. Et iterùm: *Pharisæe cæce, munda primùm quod intus est in populo, & tunc quod extra ipsum est mundum erit totum*. Ex abundantia boni cordis fructum adferamus, alius quidem centuplum, alius sexagecuplum,

plum, alius verò trigecuplum, sive id fiat operibus, sive verbis, ad gloriam Dei, & Christi ipsius; ubique hoc satagentes, ne contristemus sanctum Spiritum. Et hoc pacto evademus judicium Domini dicentis: *Væ vobis, quoniam similes estis sepulchris dealbatis*, quæ quidem externè speciosa apparent, internè verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia: ita & vos externè apparetis hominibus justi, internè verò pleni estis hypocrisi, & iniquitate. Quapropter ante baptismum instructio præmittenda est, & primùm quæ doctrinam, ac disciplinam impediunt removenda, ut ita ad instructionem idoneos nos ipsos præparemus, ipso Domino nostro Jesu Christo per exempla præmissam sententiam confirmante, & iterùm dogmaticè inferente: *ita quisquis ex vobis non renuntiaverit omnibus suis facultatibus, non potest meus esse discipulus*. Et iterùm cum præcepto; *Si quis venit ad me, abneget semetipsum tollat crucem suam, & sequatur me*. Et iterùm cum definitione: *Qui non accipit crucem suam quotidie, & sequitur me, non est me dignus*. Istis, ac similibus acribus sermonibus Domi-

ni

ni nostri Jesu Christi dicentis: *ignem veni mittere ad terram, & quid volo, nisi ut ardeat?* manifestat peccatorum malitia, & declarata virtute eorum, quæ ad gloriam Dei, & Christi ipsius rectè geruntur, pervenimus omninò ad desiderium, & assensum verborum Apostoli, quibus dicit: *Miser ego homo, quis me liberabit à corpore mortis hujus?* Gratias ago Deo per Jesum Christum Dominum nostrum, qui dixit: *Hic est sanguis ille meus, sanguis novi testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum*, attestante Apostolo, cum dicit: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum*: & tunc accedimus ad baptisum aquæ, qui est crucis, mortis, sepulturæ, ac resurrectionis ex mortuis similitudo, & factis sponsionibus, ac pactis, & servantes quoque, quæ Apostolus in talis baptismatis decisione obsignavit, cum dixit: *scientes quod Christus excitatus amplius non moritur, mors illi ultra non dominatur. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel, quod verò vivit, vivit Deo: ita & vos reputate vosipsos mortuos quidem peccato, viventes autem Deo in Christo*

sto Jesu. Ne regnet itaque peccatum in mortali vestro corpore, ad obediendum illi ad concupiscentias ipsius, neque exhibeatis membra vestra arma injustitiæ peccato, sed exhibete vos ipsos Deo, tanquam ex mortuis viventes, & membra vestra arma justitiæ Deo, & quæ sequuntur. Tunc scilicet promerebitur quis, ut baptizetur in nomine Spiritus sancti, & regeneratus mutet & locum & mores, & pristinę vitę socios, ut spiritu ambulantes promereamur baptizari in nomine filii, & Christum induere. Oportet enim, & vestem accipere eum, qui natus est, sicut Apostolus dixit: *quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis*. Et iterùm: *Exuti veterem hominem cum actibus suis, & induti novum, qui renovatur ad agnitionem, juxta imaginem ejus, qui condidit ipsum, ubi non est Græcus, & Judeus.* Postquam verò filium induimus, qui potestatem dat filios Dei fieri in nomine Patris baptizamur, & filii Dei declaramur, qui præcepit, ac denuntiavit, sicut Propheta dixit: *quapropter exite de medio ipsorum, & separemini dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego suscipiam vos, & ero vobis Pater, &*

vos eritis mihi filii, ac filiæ, dicit Dominus omnipotens. Has itaque, dilecti, promissiones habentes, inquit Apostolus, *repurgemus nos ipsos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctimoniam in timore Dei.* Et iterùm denuntiat dicens: *omnia facite sine murmuratione, ac disceptatione, ut sitis inculpati, ac sinceri, irreprehensibiles filii Dei, in medio nationis pravæ, ac perversæ, in quibus lucetis, tanquàm luminaria in mundo, vitæ sermonem habentes, ad gloriationem meam, in diem Christi.* Et rursùs: *Si ergò surrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est ad dexteram Patris sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ sunt super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cùm Christo in Deo.* Quando Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria, quæ ab ipso est Domino promissa, qui dixit: *Tunc fulgebunt justi sicut sol,* &c.



T EJUS-



EJUSDEM SANCTI

BASILII MAGNI

HOMILIA

IN MARTYREM

MAMANTEM.

NOn ignoro quanta ſit encomiorum publici conventus magnitudo . At ut illam ſcio , ita & imbecillitatem meam ſentio . Cauſa namque ipſa exigit , ut dignum quid dicatur his , qui convenerunt , & quod ſpei reſpondeat , quam illi de nobis conceperunt , & ipſi demùm argumento , quod tractandum eſt . Quoniam enim maxima ex parte martyrum hodie memoriam agimus , erecta eſt cujuſque mens ,

mens, & paratus auditus, expectans, ut dignum aliquid tanto martyre dicatur, quod & Ecclesiam desiderio circa illum permovet. Ita namque comparati sunt sinceri, & candidi filii, ut magnifica de parentibus suis exigant encomia, nec facilè ferant amplitudinem eorum, quæ prædicanda sunt, per dicentis periclitari humilitatem. Quapropter quanto major est animorum ad audiendum aviditas, tanto majus imminet dicenti periculum. Quid igitur faciemus? Quomodo & desideriis satisfaciemus, & ne ipsi in præsentiarum nihil utilitatis ad ea, quæ tractanda jam sunt adferentes, inutiles abeamus, cujusque animum adhortabimur, ut quæ in cognitione habet ad memoriam revocans, ac mente renovans, ex seipso sibi alimoniam paret, ut propriis exhilaratus subsidiis domum revertatur. Memores estote Martyris, quotquot illo per somnia potiti estis; quotquot in hoc loco constituti adjutorem ipsum ad precandum habuistis: quibuscumque, ex nomine advocatus ipsis adfuit operibus: quotquot aberrantes ad viam reduxit: quoscunque sanitati restituit,

quibuſcumque filios jam mortuos ad vitam reductos reddidit, quotquot vitæ terminos prorogavit. Collectis in unum his omnibus ex communi Symbolo, martyri encomium conſtruite. Conferte inter vos mutuò, quæ quiſque novit illa ſubminiſtret ignoranti, quæ ignorat, illa accipiat ab eo, qui novit, atque ita quaſi ad convivium, quod quiſque habet, conferentes, noſtræ ignoſcite imbecillitati. Iſta namque demùm ſunt martyris encomia, ſpiritalium chariſmatum divitię. Non enim eſt, quod illum more ſæcularium, & externorum encomiorum cohoneſtemus. Non eſt, cur patres, ac progenitores illuſtres proferamus. Nam turpe eſt aliunde ornare eum, qui propria ipſe virtute illuſtris eſt. Lege namque conſuetudinis talia inter encomia uſurpant. Alioqui veritatis lege, quæ cuique ſint propria, adferenda encomia exiguntur. Neque enim velocem equum reddit, quòd is, unde natus eſt, ad curſum aptus fuit, nec canis encomium eſt, ex velociſſimis prognatum eſſe. Sed quemadmodum, & aliorum animantium virtus in unoquoque propria conſideratur, ita & propria viri laus eſt,

cùm

cùm ex rebus ab ipso benè gestis testimonium habet. Quid filio confert, de illustri natum esse parente? Ita hic Martyr non accepit aliunde, quem habet splendorem, sed ipse per vitæ conversationem gloriæ faculam accendit. A Mamante reliqui, non ab aliis Mamas gloriam habet. Hi pueri, qui pietatem ab illo sunt edocti, per illum sunt in honore. Nam ipse ex seipso virtutem quasi scaturigine quadam producit. Non habet, ut torrens, qui ex alieno confluxu gloriosus apparet, sed fons est, decorem suum ex propriis venis effundens. Celebremus virum non alieno, sed proprio ornamento decoratum. Vides claros equorum nutritores? vides alba illorum monumenta, quomodo lapides sunt neglecti? Ad martyris verò memoriam, & tota regia mota est, & ad illius festum diem urbs universa immutata gestis. Neque cognati divitum ad majorem suorum sepulchra declinant, sed omnes ad pietatis locum tendunt. Patrem hunc veritatis ducem, & non eos, qui corporum sunt parentes, & duces appellitant. Vides honorem constare ex virtute, non ex divitiis?

Ita Ecclesia, in quibus eos, qui præcesserunt honorat, ad ea ipsa sectanda admonet præsentes, ac si dicat: noli divitias sectari, noli deditus esse sapientiæ hujus mundi, quæ abolebitur: neque gloriæ, quæ caduca est, ac fluxa. Hæc enim unà cum ipsa vita intereunt. Sed pietatis esto studiosus operator: illa enim te ad cœlum usque extollet, illa & immortalem tibi memoriam, & perennem apud homines gloriam per hoc parabit, quòd eos, qui præcesserunt, honore afficit. Si quisquam igitur pastoris memor est, ne admiretur divitias. Convenimus enim, non ut divitem laudemus, ne divitem admiratus domum abeas, sed ut paupertatem cum pietate conjunctam extollamus. Pastorem esse, nihil habet magnificũ, nihil, quod sapientiæ, & industriæ referat exercitium. Neque iratus probri vice diceres ei, qui te irritasset, pastor es. Pastor nihil amplius quotidiano victu possidet, peram appensam habet, & clavam gestat, & diurnum viaticum, nullam crastini curam gerit, bestiis hostis, animalibus mansuetis contubernalis, forum, ac tribunalia fugiens, sycophantarum, ac merca-

tu-

turę ignorans, divitas nesciens, proprium tectum non habens, sed sub eo, quod mundo commune est, agens, noctu ad cœlum suspiciens, & per astra conditoris admirabilem potentiam considerans. Ne pudeat nos veritatis. Ne fabulatores illos profanos imitemur, ne veritatem verborum ornatu obvelemus. Nuda est veritas, absque patrocinio ipsa seipsam declarans. Humilitatem illius multo sermone, imò magis encomio celebrabis. Pastor, ac pauper, hæc sunt homini Christiano ornamenta. Si doctrinæ pietatis duces inquisieris, piscatores invenies, ac Publicanos. Si Discipulos, sutores sunt pauperes. Nusquam splendor. Hæc omnia cum ipso mundo abolentur. Vide igitur, cujus hominis diem festum agamus, cujus gratia alacres omnes simus, propter quem immutata sit ratio vitæ nostræ. Quoniam videlicet pastoris mentionem fecimus, ne audita appellatione contemnas. Qui Deo primus placuit, Abel, pastor fuit. Quis illum imitatus est? Moses magnus ille legislator, qui, ut periculum declinaret, quod à Pharaone imminebat, aufugit, qui contubernalium insi-

ſidias odio habuit, ille, inquam, pecudes pavit in monte Oreb, & dum paſceret ad colloquium Dei pervenit. Angelum in rubo non juditio diſceptans, ſed paſtorem agens, cœleſti colloquio dignatus vidit. Quis poſt Moyſem? Jacob Patriarcha, qui pecudes paſcendo pro veritate patientiam oſtendit, & in modica imagine univerſam vitam ſuam, quaſi quodam charactere obſignavit. Cui converſationi hujuſmodi zelum poſt ſe reliquit? Davidi. David à paſtoritia vita pervenit ad regnum. Sorores quædam ſunt vita paſtoritia, & regni adminiſtratio. Niſi quod illa, irrationalium, iſta verò rationalium animantium curam habet. Ita ſcilicet ad majorem illa ſcientiam tranſitum habet. Quapropter Dominus utrumque complexus, & paſtor eſt, & Rex, irrationales paſcens, majori ratione præditos ſub regni gubernationem includens. Vis diſcere quantæ dignitatis ſit paſtor? *Dominus*, inquit, *paſcit me*. Quomodo verò regiæ gubernationis ſoror eſt paſtoritia vita? *Quis eſt iſte*, inquit, *Rex gloriæ*? Qui illic paſtor, hic Rex dicitur. Nec putes, illum ab aliis quidem

dem paſtorem vocari, ipſum verò id appellationis pudoris gratia non agnoſcere; quin ipſe degeneres paſtores compeſcens, in ſeipſum veræ paſtoralis vitæ teſtimonium transfert: *Ego*, inquiens, *ſum paſtor ille bonus. Ego ſum, & non mutatus ſum*. Quomodo cum magna dicit; *Ego manu mea firmavi terram, ego cœlum extendi ſolus*: quemadmodum cum alia dicit, quæ de Deo dici digna ſunt, ſic dicit: *Ego ſum paſtor ille bonus*. Rejicit ſpurios, & veritatem ſibi ipſi vendicat. *Ego ſum paſtor ille bonus*. Diſce quis ſit paſtor, & quis ſit bonus ille. Ipſe hoc interpretatur. *Verus paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis*. Mercenarius verò, & qui non eſt paſtor, cujus non ſunt oves propriæ, illi nihil eſt curæ, quando lupum venientem videt. Hic quærit Eccleſia, ſi Dominus paſtor eſt, quis ſit mercenarius paſtor. Num diabolus? Et ſi diabolus mercenarius paſtor eſt, quis ſit lupus. At lupus diabolus eſt beſtia immitis, rapax, inſidioſa, communis omnium hoſtis. Habeat igitur propriam appellationem mercenarius paſtor. Tunc quidem mercenarios paſtores Dominus

eos vocavit, qui tunc degeneraverant. Sunt verò & nunc, atque utinam non essent, quibus propriè mercenariorum appellatio convenit. Tunc principes Sacerdotum notabantur, & Pharisæi, & omnis illa Judaica secta. Illos dixit mercenarios esse pastores, qui non veritatis, sed quæstus sui gratia pascendi potestatem usurparant, qui vano prætextu precationibus instabant, ut panem comederent viduarum, & orphanorum: mercenarii sunt, qui proprium compendium curant. Qui præsentia sectantes ad futura non aspiciunt, mercenarii sunt, non pastores. Et nunc mercenarii multi sunt, qui pro misera gloriola vitam suam impendunt, ac produnt, qui jam quoque contra sana Domini verba schisma suscitant. Cum enim tum eadem Dominus dixisset, schisma inter Judæos oriebatur. Quidam dicebant, dæmonium habet: quidem verò dæmon oculos cæcos, ut videant, illuminare non potest. Vides veterem hunc esse schismatis morbum? Mox enim ventilabrum adest. Paleas secernit à frumento, & quod leve est, & instabile sejungit ab eo, quod
alen-

alendi vim habet. Quod autem spiritali conveniens est alimoniæ, agricolis deputatur. Quapropter schisma factum est, & alii isto, alii alio modo diffidebant. Judæorum est in partes scindi: Ecclesia verò Dei tunicam inconsutilem desuper contextam adepta, quæ à militibus ne scinderetur conservata est, Christumque induta, vestimentum illius ne scindat. *Et cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.* Et hæc ad blasphemiæ suæ structuram rapuit hæreticus. Ecce, inquit, dictum est, cognoscunt me meæ, & cognosco oves meas. Quid ergo vocat cognoscere? An essentiam intelligere? An magnitudinem emetiri? An ea de divinitate intelligere, quæ tu ore impudenti, & temerario pronuntiasti? An non ex precedentibus mensuram cognitionis hujus intelligis, quid in Deo cognoscamus? *Oves meæ*, inquit, *vocem meam audiunt*. Ecce quomodo cognoscatur Deus. Ex eo, quòd præcepta illius audimus, ex eo, quòd illa audientes opere adimplemus. Hæc demùm est cognitio Dei, observantia videlicet præceptorum Dei, non inanis illa curiositas, non essentiæ Dei, & supra-

mundanorum investigatio, non rerum invisibilium consideratio. *Cognoscunt me meæ, & cognosco meas.* Satis tibi sit scire, pastorem esse bonum, animam suam posuisse pro ovibus. Terminus hic sit divinæ cognitionis. Quantus verò sit Deus, & quæ illius mensura, & qualis essentia, talia sciscitanti sunt periculosa, ei, qui rogatur, perplexa, & talium medicina est silentium. *Oves meæ vocem meam audiunt.* Audiunt, inquit, non disputant. Hoc est, non sunt inobedientes, non contendunt. Audisti filium, ne mihi generationis modos proferas. Neque igitur vel à me petere, vel ipsi rationi subjicere, de quibus nulla potest haberi ratiotinatio, neque per schisma, quod conjunctum est, separare velis. Hac te ratione præoccupans Evangelista communivit, ac cautum reddidit. Audisti nuper, & continuò audis. *In principio erat verbum*, ne filium humanam esse progeniem putes, quæ ex non existente provenerit, *Verbum* illum esse dixit, propter impassibilitatem: *Erat*, tibi dixit, quòd non cæperit in tempore: *principium*, tibi dixit, ut natum patri conjungeret. Vides

des morigeram oviculam, quomodo audiat vocem Domini? *In principo*, inquit, *& erat*, *& verbum*. Ne dicas, quomodo erat? Etsi erat, genitus non est. Et si genitus est, non erat. Ovicula non est ista dicens. Pellis ovilla est, intus verò lupus latet. Qui hæc dicit, pro insidiatore habeatur. *Oves meæ, vocem meam audiunt*. Audisti filium? Intellige similitudinem, quam habet ad patrem, similitudinem dico propter imbecillitatem valentiorum corporum. Et alioqui veritas ita habet. Non enim vereor accedere veritati. Non sum ad syncophantiam commodus. In sermone Patris, & Filii identitatem servo. Proprietatem in subsistentia Filii, formam intellige paternam, ut exactè imaginis rationem custodias, ut competenter de Deo sentias. *Ego in Patre*, inquit, *& Pater in me est*. Non confundit essentias, sed vel similitudinum identitatem exprimit. At enim, dilecti, res ista summè videtur contraria, utpote quod vestra audiendi obedientia imbecillitatem nostram adegit in medium aliquid afferre, ac dicere, ut potentia Dei, in organi imbecillitate potissi-

mum

mum illustraretur. Nam hac forsan ratione imbecillitas nostra superabundavit, ut hoc amplius glorificetur, qui, quod infirmum est, corroborat. Qui verò nostram hanc panegyrim reduxit, & finem fecit anni præteriti votis, ac initium dedit tempori jam imminenti. (Hæc namque dies præteriti nobis temporis circulum terminat, & rursùs initium est jam advenienti) qui & nos huc congregavit, & futuri effectum largitur, in illo nos custodiat indemnes, illæsos, & à lupi rapacitate securos, & Ecclesiam hanc immotam, ac magnis Martyrum turribus munitam conservet, & omnes furentium hæreticorum insidias, & incursus in tranquillitate, ac silentio avertat; nobis verò donet, ut divina oracula discamus, & doceamus; subministrata à Spiritu sancto gratia, cui cum Patre, & Filio sit gloria, & imperium nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.



EJUS-



EJUSDEM SANCTI

BASILII MAGNI

HOMILIA

IN SANCTUM

BAPTISMA.



Ui Baptizatur, in Trinitatem baptizatur, in Patrem, & Filium, ac Sanctum Spiritum: non in principatus, non in virtutes, nec in reliquas aliquas creaturas. Sciat ergo manifeste, quod supra creaturas sit sancta Trinitas, nec quicquam illius creaturis connumerare conetur. Memor sit etiam Domini, qui Spiritum sanctum insufflavit, perque illam insufflationem

spi-

spiritum esse divinæ essentiæ, & non creatæ naturæ ostendit. Reputet etiam secum Apostolicam de Trinitate expositionem, in qua videmus unam esse operationem Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ut neque Filius, neque Spiritus creatus sit, aut factus secundum naturam. Non enim Deus, ut suam operationem absolvat, sua ipsius opus habet creatura. Dicit autem Apostolus: *Divisiones donorum sunt, & idem Spiritus*. Et divisiones sunt ministeriorum, & idem Dominus. Et divisiones sunt operationum, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Itaque, quæ Deus operatur, eadem operatur & Spiritus: *Omnia*, inquit, *operatur unus, ac idem Spiritus dividens unicuique ut vult*. Non itaque servituti deputet Spiritum, cum audiat illum omnia, quæ Dei sunt, operari, quemadmodum vult. Et iterùm dicit: *Dominus autem Spiritus est*. Ubi verò Dominus spiritus est, ibi & libertas est. Etenim nisi divinitatem habitare in nobis diceret per spiritum, qui in nobis habitat, dicente Joanne: *In hoc cognoscimus illum in nobis esse*: ex spiritu

vi-

videlicet, quem dedit nobis, omnem nobis ſpem adimeret. Si enim Deus in nobis non eſt, neque vita, neque ullis bonis ſempiternis potiemur. Dicit autem iterùm Paulus: *An ignoratis, quod templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis*? Rursùs: *Corpora veſtra templum Spiritus ſancti ſunt, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo.* Creatura quidem revelatione opus habet, ut quæ Dei ſunt cognoſcat. Spiritus verò nobis illa revelat: *Deus*, inquit, *revelavit vobis per Spiritum ſuum*. Et in nobis ſcrutatur: nam in ipſo ſcrutationem facimus: *ſpiritus*, inquit, *ſcrutatur etiam profunda Dei*. A ſeipſo autem cognoſcit, quemadmodum & noſter ſpiritus. *Quis enim hominum*, inquit, *novit ea, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus, qui in ipſo eſt*? Ita & quę Dei ſunt nemo novit, niſi ſpiritus Dei. Vivificat etiam Deus. Dicit enim Paulus: *Denuntio coram Deo, qui omnia vivificat*. Vitam dat autem & Chriſtus, qui dicit: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego do illis vitam æternam*. Vivificamur verò & per Spiritum, teſte Paulo, qui dicit: *Is, qui Chriſtum excitavit ex mortuis, vi-*

vi-

vificabit, & mortalia vestra corpora per spiritum suum, qui habitat in vobis. Vivificaris itaque à Deo per Christum in spiritu. Quapropter & quoniam omnis operatio Filii per Spiritum manifestatur. Dominus nominatur Spiritus nomine Domini, & Christus nomine Christi, quemadmodum jam diximus. Dominus autem spiritus est. Dictum est autem, & hoc: *Vos non estis in carne, sed in spiritu: siquidem spiritus Dei in vobis est. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Deinde subjungit: *Si verò Christus in vobis est*, pro eo, quod consequenter debebat dicere, *si verò spiritus in vobis est*. Non est divina vox, quæ spiritum facturam esse docet. Quod enim alibi dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt*, de multitudine creaturarum dictum est. Spiritus verò in multitudine non comprehenditur, sed cum dualitate Patris, ac Filii, Trinitatem adimplet, & alienus est à consortio creaturarum, ac plurimum supereminet, utpote creaturas sanctificans, & vivificans, & unctio in nobis existens, imò, & in ipsa Domini carne. Non autem per creatu-

ram

ram Dominus noster Jesus Christus sanctificatur, ut Petrus dicit: *Jesum à Nazareth, quem unxit Deus Spiritu sancto, ac virtute*: nec per creaturam potens est, sed dicit: *In spiritu Dei ejicio Dæmonia*: neque per creaturam ducitur. Scriptum est enim: *Ductus est per spiritum in desertum*. De autoritate Dei veteres quidem Prophetæ clamarunt: *Hæc dicit Dominus*: Posteriores verò, ac novi, *Hæc dicit Spiritus sanctus*. Et Apostoli dixerunt: *Visum est Spiritui sancto, & nobis*. Quapropter & Apostolus, ut ostendat se divina verba proloqui, aliquando dicit: *An experimentum quæritis ejus, qui loquitur in me, Christi?* aliquando: *Puto me spiritum Dei habere*. Est autem, & veteris testamenti scriptura spiritus glorificatione referta: *Verbo Domini*, inquit Psaltes, *cœli firmati sunt, & spiritu oris ipsius omnis virtus eorum*. Et in libro Job scriptum est: *Spiritus verò divinus, qui me fecit*. Quemadmodum autem non potest præter Filium aliud poni Verbum, quo cœli facti sunt (alioqui jam non essent per Dominum Jesum facti, si per aliud verbum facti essent) ita-

ne-

neque alius substituendus est Spiritus, qui cum Verbo virtutes cœlorum confirmet. Cum verò spiritum oris audimus, non humani quicquam intelligimus, sed prout divinæ majestati convenit, quemadmodum & in verbo faciendum est. Non enim verbum hoc est, quod dissolvitur, sed, ut Psaltes ait, In sempiternum: *Domine verbum tuum permanet in cælo*. Neque spiritus diffusus quidam flatus est, sed constans, ac permanens. *Quo enim ibo à spiritu tuo*, inquit David, videlicet existente, & plenitudine sua obtinente omnia, inque divina majestate constituto. Quod namque de spiritu dixit, idem & de facie, ac dextera Dei dicit, consequenter subjungens: *Et quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es. Si descendero in infernum, ades. Si sumpsero alas meas diluculò, & habitavero in extremis maris locis: etenim, & illic manus tua deducet me, ac tenebit me dextera tua*. Et vox Dei est, de se ipso pariter, & Spiritu suo dicentis: *Ego sum in vobis*, inquit Dominus, *& spiritus meus præsto est in medio vestri*. Neque igitur alienus est à glo-

ria

ria Dei ſpiritus, ex ineffabili ore ineffabiliter prolatus, neque ipſe Deus eſt, ſed Dei ſpiritus, & apud Deum, qui & à Deo mittitur, & per Filium nobis ſuppeditatur. Quemadmodum ex perſona Patris dicitur: *Spiritus meus, qui ſupra te eſt*. Dicitur & ab ipſo Domino: *Mittam vobis Paracletum*, quem vocat etiam ſpiritum veritatis. Unum itaque Patrem, unum Filium, unum & Spiritum ſecundum divinam traditionem confiteri oportet, non duos patres, non duos filios, quandoquidem ſpiritus non eſt filius, neque filius nominatur. Non enim à ſpiritu aliquem accipimus, quemadmodum à filio ſpiritum, ſed ipſum nos accedentem, & ſanctificantem ſuſcipimus, divinitatiſque cum illo communionem, adoptionis filiorum Dei participationem, ſempiternæ hæreditatis arrhabonem, ac futurorum bonorum primitias. Neque igitur quiſquam extra ſacra hæc nomina curioſè quicquam introducat, neque Filii appellationem, aut generationem ad ſpiritum detorqueat, ſed in ſpiritus appellatione, & ſimilitudine contentus quieſcat.

FINIS.


ROMA



